31

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

SALE MEDICO,

ID EST,

PRVDENTIA MEDICE VIVENDI SVB VOCIS EXERCITATIONE,

QVAM,

AVXILIANTE NVMINE DIVINO,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTHO,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRIDICÆ FACVLTATIS ASSESSORE ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. NEC NON CIVITATIS SYNDICO ET CONSVLE,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN HAC PER-ANTIQVA HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

SVB PRÆSIDIO

DN. LAVR. THEOPHILI LVTHER,

MEDIC. DOCT. CHYMIÆ PROFESS. PVBL. FACVLTAT. MED. ASSESS. ORDIN. ET CIVITAT. ERFORD. CONSVL. SENIOR. N. N. PHYSICI ADJVNCTI,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORALI

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS RITE ET SOLENNITER IMPETRANDIS,

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT,

AVTOR ET RESPONDENS,

M. JOAN. Gottvertrau DÜRINGIVS,

Laſtavienſ. Miſnicus,

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XXIX. OCTOBR. M D C C XXXII.

ERFORDIAE, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

DEO T.O.M.

NEC NON

PARENTI SVO OPTIMO,

TENERRIMO ET AMORIS ET HONORIS AFFECTV

AD VRNAM DEVENERANDO,

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

Sacrum eſſe vult

AVTOR.

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICÆ,
DE
SALE MEDICO,
i. e.
PRVDENTIA MEDICE VIVENDI SVB VOCIS EXERCITATIONE,

PROŒMIVM.

NOn iniquè dixit SENECA: *Summum hominis bonum eſt, ex Naturæ voluntate ſe gerere.* Hoc vero SENECÆ ſapiens effatum, licet veritatis circulos neutiquam turbet; ſano tamen ſenſu interpretandum eſſe judico: Non enim

omne, quod ex Naturæ voluntate proficiſcitur, bonum eſt: Nam, uti Natura duplicis generis exiſtit; ſic quoque circa ejus voluntatem quædam intercedit differentia. Quia vero Natura hominum vel corrupta, vel emendata deprehenditur, quisque prudentum facilè exinde colliget, ejus etiam voluntatem ejusdem eſſe farinæ. Secundum Naturam corruptam homo ejusmodi rebus operam navare ſtudet, quæ apprimè ſuæ felicitati repugnant, de quâ illud valet Ovidianum:

Nitimur in vetitum, ſemper cupimusque negata.

Naturâ vero emendatâ ductrice homo ejusmodi appetit & adſpirat res, quæ ad felicitatem obtinendam & conſervandam faciunt. Lege etiam Juris naturalis obligamur & propellimur ad veram felicitatem conſequendam & conſervandam, licet ſœpius, repugnante corruptæ Naturæ filiâ, voluntate ſcilicet corruptâ, longius recedamus ê felicitatis confiniis. Cum itaque leges Juris naturalis viam ad felicitatem demonſtrent & aperiant, conſtans vero & vera felicitas, (non apparenter talis,) ſummum hominis bonum ſit, cuilibet prudentum nunc conclu-

dendi

dendi janua panditur, quomodo Senecæ explicandum erit effatum, quod ſcilicet ſummum hominis bonum ſit, ex Naturæ voluntate ſe gerere, *i. e. ad normam legum Juris naturalis, quæ nos ad felicitatem perducunt & quas obſervando felicitatis faſtigia attingimus, vivere.* Variæ autem dantur veræ felicitatis ſpecies, inter quas maximè eminet ſanitas integra, ſive conſervatio ſui corporis in ſtatu integritatis. Si unquam quædam felicitas excogitari poteſt, præter ſanitatem corporis noſtri integram, præſtantiorem nullam ſcio: Nam felicitatis fundamentum nititur perfectâ ſanitate. *Vid. Ill.* HOFFMANNI *Medic. Conſult. Tom. V. p. 20.* Quamdiu enim circulus ſanguinis ſalvus & illibatus permanet, in quo ſcilicet conſiſtit character ſanitatis, tamdiu etiam actiones mentis ad integritatis centrum inclinant; uno verbo: *Si corpus ſanum exiſtit, ipſi etiam ineſt mens ſana.* Ament ergo alii aliam ſibi fictam felicitatem, ſive ſummum bonum; eligant ſibi alii cum Epicureis voluntatem, alii inanem ambitionem & caducos honores; alii nummorum moleſtias; mihi placet atque arridet integra ſanitas, quâ

 mu-

munitus, omnia ſiniſtra æquo ferre animo quilibet poteſt. Non incongruè itaque dicit LACTANTIVS *de Ira Dei: Non faciunt beatum vitioſæ ac mortiferæ voluptates, non opulentia, libidinum incitatrix, non inanis ambitio, non caduci honores.* Ad noſtram mentem propius magis accedere videtur PLVTARCHVS, dicens: *Felicitas & vita beata non in multitudine pecuniæ, aut opum mole, aut principatu potentiaque conſiſtit; ſed in vacuitate doloris* (i.e. morborum) *& affectuum animi moderatione;* (quippe qui, circulum ſanguinis turbando, ſanitatem lædunt.) Clarius paululum noſtra ſententia nititur ſuffragio PLOTINI, ita dicentis: *Si felicitatem in non dolendo, in non ægrotando & non periclitando, neque in magnas adverſitates incidendo, ratio collocaſſet, nemo felix, contrariis imminentibus, eſſe poſſet. Intemperantia enim,* ex mente PLOTINI, *cæteræque corporis voluptates, felicitatem labefactant*, quas tamen *Epicuri* ſectatores noſtræ ætatis flagranti animo amplectuntur. Cum vero nullus homo unquam felix ſit, ex ſententia PLATONIS, niſi cum prudentia vivat; *vid.* PLATONIS *Epiſt. 7.* & ad

cu-

cuſtodiendum tantum theſaurum, qualis eſt ſanitas illibata, ſingulari ſanè indigeamus prudentiâ: *Sola* enim *Prudentia*, ſecundum eundem graviſſimum ſcriptorem, *eſt dux rectè agendi*, vel ex mente *Ariſtotelis*, *virtus intelligentiæ & rationis, per quam in conſulendo delectus haberi poteſt bonorum & malorum.* Repræſentata hinc etiam fuit prudentia â Romanis per Janum bifrontem & quatrifrontem, cujus interdum tota perſona in nummis, interdum caput tantum, ut in templo pacis, repræſentabatur: Nam ex omnibus quatuor plagis, ſive per omnes eventus & circumſtantias, prudentia vim ſuam extendit. *Conf.* *du* CHOVL *de veterum Romanorum religione p.14.-17.* Docet Prudentia, teſtante AVGVSTINO, quid tenendum & quid fugiendum ſit. Hinc etiam quilibet, cui mens non ineſt, uti Centauris, perſpiciet, nos nunquam ſanitatem, tanquam felicitatis præmium, ſine prudentia reportare poſſe, quoniam circa illius conſervationem varia tenenda & fugienda occurrunt. Unicuique itaque, qui prudens eſſe cupit, cum, ſecundum PLATONEM, *ſua agere & ſeipſum cognoſcere,*

ſolius

ſolius prudentiæ opus ſit, convenit prudenti conſilio ſuam tueri ſanitatem: Quilibet enim ſe ipſum ſuumque corpus ejusque vires, quidnam ferre poſſint, quid etiam recuſent, omnium optimè cognoſcit; hinc etiam quilibet optimè ſanitatis ſuæ conſervationi ſtudere & Medicus ſui ipſius, mediante diæta adæquatâ, eſſe poteſt. *Conf. Ill.* HOFFMANNI *Diſſ. de Medico ſui ipſius.* De *prudentia* itaque *medicè vivendi*, ſeu *ſanitatem per vocis exercitationem conſervandi*, jam agere in præſenti placet, cum nobis, pro impetrandis ſummis in Medicina honoribus & privilegiis, incumbit, ſpecimen quoddam noſtrorum in Arte Apollineâ profectuum exhibere. Cum etiam ſub *ſalis* voce *prudentia* depingi ſoleat, non ſine ratione ſufficiente, hoc titulo, *de Sale* ſcilicet *medico*, noſtram Diſſertationem inſignire placuit. Quævis itaque præcepta, ad ſanitatem conſervandam facientia, è vocis exercitatione depromta, breviſſimè, quantum fieri poterit, pertractabo & tradam, ad quorum normam quilibet prudentiâ præditus, Medicus ſui ipſius evadere poſſit. Ut vero Deus ſuâ Clementiâ noſtra conamina ſecun-

det, nobisque ad hos labores ſufficientes largiatur vires, ſupplicibus obſecramus precibus.

§. I.

UTi mare ſœpius ſævientibus agitatur fluctibus; ſic quoque Vulgus variis commovetur præjudiciis, imò iis obcœcatur, ut mare cœlo miſceat & omnia ſiniſtrè explicet. Ejusmodi fatalitatem etiam experta fuit illa ſententia: *Medicè vivere eſt optimè vivere*, quam perperam explicare & invertere ſtuduit, aliamque ſubſtituit ſententiam priori contrariam, hujus tenoris: *Medicè vivere eſt peſſimè ſ. miſerrimè vivere.* Licet quidem hæc Vulgi ſententia, uti eam interpretatur, non omni deſtituta & privata ſit veritatis candore, nihilominus tamen ſaniori paululum ſenſu explicanda erit. Vulgus ſub expreſſione *medicè vivere* ſibi *nimis ſcrupuloſam, ſuperſtitioſam & nimis exquiſitam vivendi rationem circa uſum rerum non-naturalium* imaginatur, in quo ſenſu etiam recte dicitur: *Medicè vivere eſt peſſimè & miſerrimè vivere. Conf.* EOBANI HESSI *libellus de bona valetudine tuenda p. 4. a.* Nihil enim juvat nimis ſcrupuloſum eſſe in diæta, quoniam ſœpius variis ex cauſis conſuetudini eſt cedendum. Potiſſimum vero Vulgus hanc ê meris præjudiciis progerminatam ſententiam enucleat pro ejusmodi conditione, *quâ æger ſub manibus & poteſtate Medici ſudare cogitur, & ſœpius quaſi excruciatur, omnia ad ejus nutum facturus.* Si demum æger alius Medici manibus ſuam permittit ſalutem, ea, quæ prior Medicus tanquam ſalubria com-

mendavit, ſœpius tanquam periculoſiſſima rejiciuntur & condemnantur, aliaque excogitantur & præſcribuntur, ſanitatem conſervandi, ſeu recuperandi, quæ iterum, ſi tertius accerſitur Medicus, atro notantur calculo. Ad cujuscunque nunc Medici voluntatem cœcum quaſi & ſervile obſequium præſtare ægrum oportet, neglectâ indagine â Medico, an etiam omnia pro ſubjecti conditione & circumſtantiarum ratione conducant, quæ ſuadet & ordinat Medicus. Veterum Medicorum cœcitas ſœpius tanta eſt, ut abſolutam utilitatem vel noxam ex iis, quæ ſanitati conducunt, vel inſidiantur, elicere allaborent, cum tamen *omnia*, ſecundum *Illuſtr.* HOFFMANNVM *in ſua Med. Syſt. Tom. II. Cap. I. p. 7. limitatè* tantum *& conditionatè l. proſint l. noceant.* Multi enim Medicorum non erubeſcunt in verba ſui Magiſtri jurare, & dedecori ſibi eſſe ducunt, veſtigia ejus relinquere, licet meliora videant ſecumque probent, deteriora tamen ſequuntur. Rectè itaque cecinit HORATIVS:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu - - - -

quo valet etiam illud proverbium: *Quod nova teſta capit inveterata ſapit.*

§. II.

Sub ejusmodi tractatione eorum, qui ſe vel præſervationis fine â morborum inſultibus, vel morbos curandi cauſa, Medicorum inanibus auxiliis credunt, ſalus maxime periclitatur, ut multi ſœpius vita & ſanitate ſuâ hanc negligentiam luere cogantur. Quod potiſſimum accidit, *ſi Medicus nefandâ avaritiâ agitatus e-*

jusmodi

jusmodi ſtudio ſuadeat, quæ ſanitatem magis deſtruere poſſunt, & eam declinantem curatu difficiliorem reddunt, ut eò magis ſuæ crumenæ conſulere eamque replere poſſit, quod vero contra *omnem conſcientiam & characterem probi viri eſt*, quo indelebilem ſuæ conſcientiæ malæ notæ maculam affricat. Contingit hoc etiam, ſi quis irruit in manus *Medici imperiti*, qui potius ad caſtra Empiricorum relegandus, quam quod in numero Medicorum rationalium toleretur. Hic ex ignorantia & imperitia ſanitatem labefactatam magis debilem reddit, ut ægri, ejus curæ crediti, ſperatæ ſalutis loco integram ſanitatis labefactationem reportent. Hoc etiam reſpectu fundata eſt promulgata Vulgi ſententia, *quod medicè vivere, ſub manibus ſcilicet & poteſtate ejusmodi inconſcientioſi, avari & lucri cupidi, vel etiam imperiti Medici, peſſimè ſit vivere*. Licet itaque hæc ſententia veritatis ſpecimine non integrè careat; nihilominus tamen, more conſueto, cum Vulgo non nimis & ultra modum eſt extendenda. Valet hic illud Apellis effatum: *Ne ſutor ultra crepidam.*

§. III.

Aliter itaque ſententia: *Medicè vivere eſt optimè vivere*, quam uti Vulgus intelligit, explicanda erit: Medicus enim fronte & occipite oculatus, tam in curandis morbis, quam in præoccupandis eorum inſultibus, nil ſine ſufficiente ſuſcipit ratione; vid. MARSILIVS *de ſtudioſorum ſanitate p. 10.* nil agit, ubi non omnes circumſtantias ægri, *ſexum* ſcilicet, *ætatem*, *temperamentum*, *habitum corporis*, *partium ſtructuram*, *vires*, *hæreditariam ad morbos diſpoſitionem*, *vitæ genus*, *mores animi*, *conſuetudines*, *victus & regiminis rationes*, *omnis generis ex-*

cretiones, morbos prægreſſos, an perfectè curati ſint, & quâ ratione fuerint ſoluti & finiti, an vero imbecillitatem partium & diſpoſitionem ad alios morbos reliquerint, ſanguinis ſtatum, an nimium abundet, vel inopia adſit, aut valdè impurus, viſcerum diſpoſitionem & generis nervoſi conſtitutionem, an robuſta, an vero imbecillis & ad motus incongruos proclivis fuerit, &c. exactè conſideravit. His ritè examinatis, ſcit & judicat Medicus, quid hic vel illic in hoc vel illo caſu faciendum ſit, vel omittendum. Prudens etiam & conſcientioſus Medicus ultra neceſſitatem ægros non onerat & fatigat nimio uſu medicamentorum, præſertim ſi quis præſervationis fine ejus cautelæ ſe tradiderit; ſed potius annititur, per regulas diæteticas & regiminis, omnibus ſingulisque circumſtantiis adæquatas & accommodatas, ſanitatem præſentem conſervare. Res etiam vilis, dejecta & aliàs noxia, ſi ſub debitis cautelis in uſum vocatur, innoxium planè edit effectum; ê contra ſœpius res omnibus bonitatis notis inſignitæ, ſi incongruè adhibentur, ſanitatem labefactant. Semper itaque quædam proportio intercedere debet, inter ſomnum & vigilias, motum & quietem, ingeſtiones & egeſtiones, inter ciborum & potuum quantitatem & vires ſubjecti, &c. quoniam ipſa *ſanitas conſiſtit in proportione omnium motuum ſolidorum, reſpectu fluidorum & ſe- & excretoriorum.* Circa cujuslibet vero rei ex non-naturalibus uſum temperantiæ operam navare quilibet naturali modo obligatur, quippe *temperantia facit, ne,* ſecundum mentem MARSILII, *ex hominibus in bruta præcipitemur.* Non incongruè itaque dixit PLATO: *Temperantia bonam corporis valetudi-*

nem

nem facilius præſtabit, quam Medicina. Si itaque *medicè vivere* pro *modicè & temperanter vivere*, accipitur, verum eſt: *Medicè vivere optimè vivere;* falſiſſimum vero, *peſſimè & miſerrimè vivere:* Nam *temperantia eſt parens ſanitatis.* Conf. EOBANVS HESSVS *l. c.*

§. IV.

Imprudentes quidem homines, voluptatibus & intemperantiâ in quovis genere ſuffocati, hanc methodum medicè vivendi & prudenti modo ſanitatem conſervandi rejiciunt & tanquam noxiam contemnunt, quia corrupto ſuo appetitui integrè ſatisfacere nequeunt. Cum vero nobis res & ſermo ſit cum prudentibus & iis, qui temporis & rerum uſu, etiam ſæpius intercurrente damno, edocti, relegatâ imprudentiâ, cum prudentiâ ſecundum rationis ordinem vivendi in gratiam redire cupiunt, ejusmodi regulas ê vocis exercitatione, quibus ſanitas illibata conſervari & vita longæva obtineri poteſt, præſcribere animus eſt, ut prudentes quoddam habeant ſchema, ad cujus normam quælibet prudenter dirigere poſſint, indocti vero & imprudentes, ipſorum pernicie aliorumque ſalute tandem informati & ſapientiores facti, alliciantur ad meliorem vivendi rationem ineundam.

§. V.

Supervacaneus ſanè eſſet labor, noſtræ Diſſertationis inſcriptionem analyſi philologicæ ſubjicere, dum cuilibet ingenio prudentiâque prædito ex jam deductis colligere licet, quænam ſit noſtra mens in explicanda inſcriptione. Unum hoc addere placet, ad *Sal medicum* explicandum, ſi forſan non omnes rem acu tan-

gerent. Sub voce *ſalis* metonymicè ſumti *prudentia* intelligitur, quam vim vocis etiam hic obtinet vox *ſalis*. *Sal* itaque *medicum* nobis idem eſt, ac *prudentia medica*, ſeu *medicè vivendi*, ut noſtram mentem ſuperius explicavimus. Nos brevitati ſtudentes, hanc materiam aliàs pretioſiſſimam non per omnes claſſes, per quas deferri poſſet, explicando perducemus, dum aliàs noſter labor ſpeciminis academici excederet limites, ſed quædam tantum circa *vocis exercitationem* percurramus, exempli ad inſtar, ut ſcilicet indigitemus, quomodo & quâ ratione ille, cui curæ cordique eſt illibata ſanitas ejusque conſervatio, ſibi ê *vocis exercitatione* conſulere poſſit. Si volupe eſſet, hanc materiam per omnes motuum claſſes, per omniaque exercitiorum genera, quæ ſuum conferunt ſymbolum, tam ad conſervandam, quam deſtruendam ſanitatem, perducere, majori jure plura conſcribere volumina liceret, quam ille, qui de vocabulo ET varia volumina orbi erudito olim promiſit. Sed ſufficiat quædam attigiſſe, quæ aliis normam ſuppeditant, hanc materiam fuſius pertractandi.

§. VI.

Cum facilius ſit ſanitatem illibatam conſervare, quam labefactatam aut amiſſam reſtituere; *vid.* COSCHWITZII *Organiſ. & Mechaniſmus in homine obvius & ſtabilitus, Sect. II. Cap. I. p. 239.* utique nobis etiam incumbit, noſtræ ſanitatis conſervationi ſtudere, dum ad faciliora pertractanda magis vires noſtræ ſufficiunt, quam ad difficiliora abſolvenda. Præprimis vero cuilibet conſultum erit, quovis modo in regulis diæteticis & regiminis, ſuæ Naturæ, i. e. ſui corporis diſpoſitioni

adæ-

adæquatis, quoddam munimentum quærere contra morborum inſultus & invaſiones, quoniam, ſecundum ſapientiſſimum effatum *Illuſtr.* HOFFMANNI *in ſua Med. Syſt. Tom. II. quilibet morbus quandam relinquit in corpore imbecillitatem, quæ demum ad novorum morborum geneſin quam maximè diſponit.* Qui itaque, illibatâ concomitante ſanitate, longævus evadere & ſummam ſenectutem, quam demum naturali modo mors inſequitur, attingere cupit, ille neceſſe habet, *ſe contra primum morborum inſultum præmunire.* Veſtigia itaque aliorum in hac Medicinæ parte celeberrimorum Medicorum, præprimis vero Ill. HOFFMANNI, prementes, in præſenti, quantum in viribus noſtris poſitum erit, quandam uberiorem manuductionem ad hanc divinam doctrinam ſuppeditare decrevimus.

§. VII.

Cum *character ſanitatis*, quæ eſt *vigor actionum tam corporis, quam animi, in continuo, libero, æquali & non niſi temperato ſolidorum ac fluidorum motu ſanguinisque & humorum temperie*, nec non *adæquatis & convenientibus motibus ſe- & excretoriis* conſiſtat, vid. Illuſtr. HOFFMANNI *Med. Syſt. Tom. I. p. 318.* utique ad hæc ſanitatis requiſita obtinenda *debita & adæquata proportio* inter ſe invicem circa partes ſolidas & fluidas intercedere debet, ut motus utrarumque debitè & liberè celebrari poſſint. Accedit huc etiam *debita temperies humorum & ſufficiens eorum ſpirituaſcentia, ſive vis elaſtica*, ſi aliàs motus ritè & legitimè abſolvi & procedere debent: Nam, ſi in vaſculorum genere non debita & proportionata adeſſet copia fluidorum, nec adæquata eorum temperies &

ſpiri-

ſpirituaſcentia, illa ab his non poſſent dilatari usque ad punctum ſummæ ſuæ reſiſtentiæ, quod, ſi expanſione non attingunt, nullâ ſingulari vi iterum ſe contrahunt; *hinc fluida nimis ſegniter moventur per univerſum vaſculorum ſyſtema:* Nam *qualis vaſorum dilatatio, talis quoque eorum conſtrictio.* Si vero ê contra fluidorum quantitas proportionem reſpectu ſolidorum excederet, & corpus majori copiâ abundaret, quam vaſorum alveoli æque & commode includere debitèque movere poſſent, utique, quia motuum tollitur æquilibrium, ſanitas læditur: Nam vaſa eorumque fibræ, ex quibus conſtant, ultra modum & punctum reſiſtentiæ, â majori humorum copiâ ſingulari vi dilatantur & in ſuâ vi elaſticâ enervantur, ut prædictæ fibræ inertes evadant ad fortiorem paululum conſtrictionem, ſive abbreviationem, quæ tamen ſub his circumſtantiis apprimè, imò abſolutè requiritur: Nam *ſi fluidorum, quæ â ſolidis regi & moveri debent, major eſt quantitas, majorque eorum renitentia, quam ſolidorum,* quibus illa regere convenit, *vis elaſtica & renitentia, utique vis minor majori cedere cogitur & ſolida in ſua conſtrictione impediuntur, quo minus fluida debitè & cum ſufficienti vi & impetu propellere poſſint.*

§. X.

Licet vero debita & proportionata adeſſet quantitas reſpectu ſolidorum, generi tamen humano & ſanitatis œconomiæ minus ſanè conſultum eſſet, niſi ipſis â Deo facultates conceſſæ eſſent, ſe invicem agendi, ſeque movendi; quare fluida, quibus corpus rigatur humanum, preſſione, mediante vi elaſtica, qua

agunt

agunt in ſolidas, eas ad motum exſerendum invitant atque impellunt, hæcque demum fluida localiter movent atque propellunt. *Si* enim *fluida non perpetuo & haud interrupto* ſemper *agitantur motu, vitium capiunt & in corruptionem abeunt*, de quâ re hunc in modum cecinit OVIDIVS:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Et capiunt vitium, ni moveantur, aquæ.

Das Waſſer, wenn es ſtets gantz unbeweglich ſteht,
Denn ſieht man, daß es ſtinckt und ſeine Krafft vergeht.

vid. BEVERWYCKS allgemeine Artzeney *P. II. p. 226.* Præ omnibus vero humoribus *ſanguis* ſanè animantium, ob *partem ſulphuream volatilem & alcaliſatam*, quam recondit & quæ ad *motum diſſolutorium inteſtinum maximè idonea eſt*; vid. Illuſtr. HOFFMANNI *Med. Syſt. Tom. I. p. 379.* ni perpetuò decenti modo movetur, huic exponitur fatalitati & ſubitò in *fœtidiſſimam* ruit *putredinem*. Præprimis vero, quo fluidior & floridior eſt ſanguis, quali Cholericorum & Sanguineorum perfunduntur corpora, eò citius ac vehementius putreſcere ſolet, ſi incipit quieſcere; quare etiam huic potiori jure convenit motus. *Sanguis* vero, qui *mixtionis craſſioris* exiſtit, qualis eſt Melancholicorum, non tam ſubitò in *putrefactionem* ruit, quia *elementum* hoc fixioris naturæ, *terreum* ſcil. nimiam *ſulphuris activitatem* infringit. Hinc utique, ob internam hanc *ſanguinis diſpoſitionem* ad *corruptionem putrefactoriam*, neceſſe eſt, ut ſemper *localiter* moveatur *ſanguis*.

§. IX.

Opus etiam eſt *decenti* & *certo gradu motus progreſſivi*; hinc ſolus motus progreſſivus ſanguinis inſufficiens eſt, per ſe illum præmunire ab hac imminente labe, quoniam per ſe nimis *languidus* & *ſegnis* eſt; *major* vel *minor* tamen pro *ſubjecti diverſitate*. Quare *motus corporis localis*, ſeu *corporis exercitium*, maximum *adminiculum* ad *expeditiorem & promtiorem ſanguinis motum* conſtituit, ſine quo *nullus* ſanè *hominum* diu *illibatâ* frui poteſt *ſanitate*. Nam ſub *corporis motu* & variâ *membrorum motitatione* muſculi, membranæ, vaſculorumque genus variè agitantur, modificantur & mox dilatantur, mox vero comprimuntur; quare etiam *motus fluidorum celerior*, *auctior* & *expeditior* redditur, quæ *motus humorum conditio*, ſi *proportionis fines* non excedit, *maximum* evadit *præſidium ſanitatem* conſervandi & corpus contra *morborum injurias* præmuniendi: Nam *corporis motus*, *ſanguinis motum celeriorem*, *auctiorem* & *expeditiorem* paululum reddendo, *omnem* impedit ejus *quietem & ſtagnationem*, *partes craſſiores tenuiores* reddit atque *ſubtiliores*, easque cum his *intimè* miſcet & tandem *heterogeneas* & *excrementitias* ê corpore excludit, ſub *auctiori* ſcil. & *intentiori ſanguinis motu* verſus *corporis peripheriam vergente*.

§. X.

Secretiones enim, omniumque maximè vero *excretiones*, ad *corpus ſanum conſervandum æternâ gaudent lege* & *privilegio* ab ipſa *Natura ſancito*; hinc etiam ſine his motibus ſe- & excretoriis vix unquam licebit ſanitate frui integrâ, teſtante hoc experientiâ rerum magiſtrâ: *Perenni* enim, quo agitantur & volvuntur, *motu*, *tempe-*

ratiſ-

ratiſſimi etiam *humores* ſucceſſu temporis degenerant, *intemperati* fiunt, *acres ê temperatis*, ê *fixis volatiles*, ex *inſipidis ſapidi* & *ſalſi*, ex *utilibus inutiles*, *noxii* & *excrementitii*, qui, ſi non citò & debitè eliminantur ê corpore, irreparabili ferè damno ſanitati inſidiantur. *Humores* vero *excrementitii* neutiquam ſine *motu* ê corpore ejici poſſunt; ſed potiſſimum & primariò dependent â *motu ſanguinis progreſſivo*, quo vigente & in æquilibrio conſtituto, *omnes ritè* ſuccedunt *excretiones*. Cum verò ſolus *humorum motus progreſſivus* & *circularis*, ni *corpus localiter* moveatur, nec alio modo pars aliqua corporis exerceatur, nimis *ſegnis* & *invalidus* ſit ad *humores excrementitios excludendos omnesque ſordes ejiciendas*; utique vel *totius corporis*, vel tantum *quorundam membrorum major exercitatio*, *motum ſanguinis progreſſivum*, â quo *reliquorum humorum motus* dependet, *auctiorem* ut reddat, neceſſe eſt. Veritatem hujus aſſerti ê contrario teſtantur obſervationes accuratiores Medicorum de iis inſtitutæ, qui nimium *vitæ ſedentariæ* & *quieti* indulgent, quorum *corpora continuò variis* divexantur *morborum inſultibus*, contra quos vero ii præmuniuntur, qui *moderatè* & *proportionatè corpus movent*.

§. XI.

Ex his deductis *æterna* ſancita *lex* elucet, de *motus corporis neceſſitate*, quæ etiam fundata eſt in ſacris literis, quæ *laborem*, qui ſpeciem motus conſtituit, tanquam *optimum* contra *morborum injurias præſidium*, unicuique inculcant, his verbis: Nimm dir etwas für zu arbeiten, ſo wiederfähret dir keine Kranckheit. vid. *Eccleſ. Cap. XXXI. v. 27.* Non etiam ſine ratione ſufficiente

te *Paulus in II. Epiſt. ad Theſſal. Cap. III. v. 30.* ſuadet, *quod iis, qui non laborant, edere non conveniat*; quoniam, *motu corporis* & *labore* deſtituto, *edacitas*, quæ *ſuperfluum* generat *ſanguinem*, qui demum variorum *morborum genitrix*, non *proficua* eſſet. Teſtantur hoc etiam non ſine ſufficiente ratione, & quotidiana experientia crebrisque obſervationibus confirmati, optimi & maximi Medicorum Principes, quos inter maximè eminet Medicinæ rationalis parens feliciſſimus HIPPOCRATES, ita exclamans: *Qui edit, ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam utatur laboribus. Conf. Lib. de Diæta §. 1.* Cujus veſtigia relegens SANCTORIVS, excretionum inveſtigator acutiſſimus, hunc in modum de motuum uſu philoſophatur: *Si homines debito tempore labore ſe exercerent, vel alio modo ſe moverent, carere poſſent multis Medicis multisque medicamentis. Conf. in Med. ſtat. & Avicenna Lib. I. Fen. Cap. 1.* His quoque ſuum addit calculum *ſidus* illud *Hallenſium primæ magnitudinis*, Ill. inquam HOFFMANNVS, ita dicens: Kein Ding iſt in der Welt, daß den Umlauff des Geblütes ſo herrlich befördert, und die unreinen Säffte beſſer läutert und reiniget, als die äuſſerliche Bewegung der Muſculn. vid. Gründlicher Unterricht lange zu leben. p. 54. *Conf. ejus Diſſ. de motu optima corporis Medicina.*

§. XII.

Licet ſecundum tritum illud vulgare, *quot capita tot ſenſus*, eruditorum cohors raro in ſuis opinionibus conſentiat, Medicos tamen tam antiquos, quam neotericos, de *motus corporis utilitate* differentes, conſentientes ad unum omnes ſanè invenimus, ê quo communi Medi-

Medicorum conſenſu, qui ſane *rara avis in terris nigroque ſimillima cygno*, ſumma & præſtantia veritatis elucet, quod ſc. *motus corporis*, ſi *debitè* & ſecundum cujuslibet *individui diſpoſitionem, proportionatè* inſtituitur *ſumma* ſit *corporis Medicina* & *præſidium* contra *morborum inſultus.* Scribit itaque GALENUS *Lib. II. de ſanitate tuendâ: Sanitatis tutela â labore eſt auſpicienda, quoniam vix ullus labor ſine corporis motu concipi queat; & libro de boni & mali ſucci cibis,* ait: *Ad ſanitatem tuendam maximum bonum eſt motio moderata*, h. e. ſi corpora *moderatè* exerceantur, & eodem *lib. Cap. 3. Ut*, inquit, *nulla major peſtis valetudinis eſt, quam ſi corpus ex toto in quiete habeatur, ita in moderato ejus motu ſumma ſalus conſiſtit.* Quod multis etiam ante GALENUM annis ARISTOTELES *in Probl.* agnovit, *quòd ſcil. cibum minuere, laborem verò augere ſalubre ſit.* Inquit enim *Lib. V. Metaph. Exercitium eſt cauſa ſanitatis & ê converſo;* & *Lib. II. Ethic.* ait: *Exercitium temperatam conſervat ſanitatem.* Cui etiam adſtipulatur CELSUS *Lib. I. Cap. I. dicens: Ignavia corpus hebetat, labor firmat.* Teſtatur & PECHLINUS *Obſerv. XXXIV.* nulla corpora morbis minus obnoxia, injuriisque tolerandis magis idonea reperiunda eſſe, quam illorum, qui â primâ ſtatim infantiâ *motu palæſtrico, gladiatorio, aut alia vehementia* firmitatem ſibi viriumque robur contraxerunt. E quo PECHLINI teſtimonio magnus & excellens *motus corporis uſus* facili negotio evolvi licet. Ex eodem rationis fonte inter alia fluunt illa præclara præcepta *Præſtantiſſimi* WAGENSEILII, quæ ad Principis meliorem educationem adornandam ſedulò conſcripta extant. Conf. WAGENSEIL von Er-

ziehung eines jungen Printzens. Dicit itaque D. BERNARDUS *ad fratres: Ruſticus duros habet nervos, lacertos fortes; exercitium hoc facit.*

§. XIII.

Dici vix poteſt, vel ulla lingua exprimi, quantam utilitatem atque emolumentum *debita exercitatio* corpori adferat: Hanc enim *circulum ſanguinis excretionumque œconomiam*, quæ conjunctim vitæ ſanitatisque fundamentum meritò conſtituunt, *ſartam tectamque ſervare* teſtatur Medicorum decus illud Illuſtr. HOFFMANNUS *in Diſſ. de motu optima corporis Medicina. Conf. ejusd. Med. Conſult. Tom. V. p. 173.* Ad *ſanguinis liberum circulum* requiritur, ut præter ejus adæquatam quantitatem, vaſorum proportionatas capacitates, eorumque debitum tonum, *ſufficiens* adſit *ſanguinis fluiditas & ſpirituaſcentia.* Hunc tenuem, fluidum & ad motum progreſſivum aptum reddit *corporis motus & exercitatio. Conf.* Illuſtr. HOFFMANNI *Med. Syſt. Tom. III. p. 129.* hinc etiam *excretiones* egregiè *promovet & auctiores reddit*, ſecundum eundem Autorem graviſſimum *l. c. p. 263. conf. ejusd. Med. Conſult. Tom. I. p. 226. & Tom. IV. p. 285.* præprimis omnium optimè *perſpirationem juvat; vid. ejusd. Med. Syſt. Tom. I. p. 396. ſeq.* has vero promovendo & illibatas ſervando *præſervat contra varii generis morbos, vid.* Illuſtr. HOFFMANNI *Med. Syſt. Tom. I. p. 109.* Ad ſanitatem itaque ſervandam longè *utiliſſima eſt corporis exercitatio*, & quia illius ope ſanguinis ſpirituaſcentia major obtinetur, viribus fulciendis apprimè reſpondet. Conf. Illuſtr. HOFFMANNI *Diſſ. de valetudine ſenum tuenda & ejusd. Diſſ. de Medico ſui ipſius*, quod

dudum

dudum etiam profeſſus eſt CELSUS, *Romanorum Medicus acutiſſimus*, perhibens: *Ignavia corpus hebeſcere, labore firmari; illâ maturam ſenectutem, hoc longævam adoleſcentiam fieri.* Motus enim partes ſolidas magis firmat iisque robur inducit, ita ut fibræ langueſcentes, relaxatæ & emollitæ eo corroborentur, & ſic vaſa ampliora reddantur. Dicit itaque noſter graviſſimus Autor *in Diſſ. de Methodo vitam longam acquirendi ejusque cauſis: Ad robur ſolidarum partium utilis eſt motus, optima corporis medicina. Conf.* COSCHWITZII *Organiſm. & Mechaniſm.*

§. XIV.

Motus per circulum ſanguinis auctum & tranſpirationem auctiorem factam, inſuper quoque *multas ſordes* ex humoribus *detergit: Evacuationes* enim, dicit GREMBS, *in arbore integra & ruinoſa hominis p. 487. juvat exercitium corporis, unde etiam hoc ad vitam longam facit. Probibet,* referente GRATAROLO, *de literatorum valetudine conſervanda p. 757. ne repletionis materia congregetur, & corpori levitatem præbet, quin etiam innatum calorem & ſervat & mirificè excitat, totiusque corporis vires inſtaurat & omnes virtutes roborat; vacillantem excitat appetitum, collapſas erigit vires, omnesque ſervat corporis actiones integras; internum etiam motorem exſuſcitat ejusque vires, ipſique vigorem ingenerat.* Conf. Illuſtr. HOFFMANNI *Med. Syſt. Tom. I. p. 397. & diſſ. de motu optima corporis Medicina, & de Medico ſui ipſius.* Cui aſſerto etiam adſtipulatur GALENUS, *in libro de aſſuetudine*, hiſce verbis: *Ab exercitiis animæ univerſæ virtutes augentur & robur accipiunt; & Lib. I. de ſanitate tuenda: Exercitiis modicis*

tum

tum corporis, tum animi, cuſtoditur intra ſanitatis fines nativus calor. Clarè etiam, perpulchrè & ſcitè affirmat PLINIVS *Lib. I. Epiſt. 2. animum agitatione motuque corporis excitari. Conf. ejusd. Epiſt. 6. Lib. I.* & SENECA *de tranquillitate p. 56.* Longiſſimè itaque antecellit *motus* aliorum remediorum viribus, in cuſtodiendâ corporis ſanitate morbisque profligandis, ita ut ſanè *Medicinam* conſtituat *univerſalem*, quod intelligens GALENVS *Com. XI. §. 3.* præclarè ait: *Exercitatio ſupplet purgationem vitioſorum humorum, qui in corporis profundo ſunt.* Cui ſuffragari videtur VERVLAMIVS *Lib. IV. de Scientiar. Augment. Cap. I. Vix aliquam in morbum inveniri inclinationem, quæ non exercitatione quadam propriâ corrigi poſſet.* Conf. QVERCETANI *Diæteticon Polyhiſtoricum p. 109. ſeqq.* PAVLVS ÆGINETA *in Lib. I. de re med. Cap. 16.* & ORIBASIVS *Lib. I. Synopſ. Cap. 2. Exercitationes* dicit *Ægineta, de tuenda valetudine, partes inſtrumentales præparant, ut & affectionibus* (i. e. morbis) *potenter reſiſtant, & ad actiones reddantur fortiores;* & PLACOTOMVS commentans in EOBANVM, *de tuenda bona valetudine,* perpulchrè ſcribit: *Sanitas absque exercitiis conſiſtere aut durare non poteſt; ſicut ignis ſine ventilatione evaneſcit. Excitant enim, augent & cuſtodiunt calorem naturalem, alimenti digeſtionem in corpore adjuvant, membra corroborant atque ſuperfluitates expellunt.* Conf. DRESSERVS *de Partibus humani corporis & animæ potentiis p. 120.*

§. XV.

Uti *corporis exercitatio* multum facit ad morbos præcavendos, ſic quoque non minus confert ſymbolum ad varia morborum genera tollenda, & ſi animus

eſſet, quasvis morborum ſpecies percurrere, unicuique veritas hujus aſſerti eò clarius obviam iret. Cum verò eam Medicorum crebriores & accuratiores obſervationes luculenter doceant, teſtantibus eorum ſcriptis, huic labori ſuperſedeo, ne labor noſter nimiam induat molem; præprimis cum noſtra intentio eò potiſſimum vergat, ut *vocis exercitationis egregium uſum* explicemus, omnesque ſecundum quodlibet individuum cautelas, circa eam verſantes, indigitemus.

§. XVI.

Variæ quidem dantur motuum ſpecies ad ſanitatem tuendam & morbos curandos facientes, quas inter vero *vocis exercitationi* potiſſimum noſtras meditationes conſecrare placet, explicando, *qualem uſum* ſubminiſtret & *quibus* potiſſimum *proficua* vel *noxia* ſit. *Motus, ſive exercitia corporis*, vulgariter in tres diſtinguuntur ſpecies: Dantur nempe *corporis motus laborioſi, vehementes*, ſive *violenti, motus mediocres* ſive *medii*, & *motus parvi*, ſive *leves*. Motuum parvorum caſtra ſubeant *vocis exercitatio, ſermocinatio, lectio, muſica vocalis* & *inſtrumentalis, ludus chartarum, tabularum* & *ambulatio*. Omnium verò harum corporis exercitationum diverſus eſt finis & applicandi modus, pro diverſa partium corporis, ſexus, temperamentorum, ætatum & perſonarum ratione. De prudentia itaque medicè vivendi circa vocem exercendam, ad ſanitatem conſervandam illibatam, acturi, omnium primò aſſerendum eſſe credimus, nullam *ſermocinationem*, ſive *vocis auctioris & intenſioris exercitationem*, fieri poſſe ſine *citatiori* & *auctiori reſpiratione*, quæ conſiſtit in aëris in- & exſpiratione, &

D au-

auctiori fortiorique muſculorum pectoris, abdominis, & diaphragmatis agitatione. Præprimis vero nulla loquela, nec ullus clamor ſine aëris exſpiratione concipi poteſt, *conf.* SCHOENGASTI *Diſſ. de reſpiratione.* Nam aërê pulmonibus expulſus ad ſonum in faucibus modificandum, qui propriè ſuſcitatur ab organis loquelæ conſecratis, multum facit: Sicuti enim aër ê loco paululum ſpatioſo in tubulum anguſtum, pedetentim ampliorem factum, propulſus, uti conſtat inſtrumentis muſicalibus tibicinariis, certum ſonum excitat & producit; ſic quoque ad ſonum ſub loquela modificandum facit aër egrediens ê veſiculis pulmonalibus, tanquam loco paululum ſpatioſo, in tubulos primò anguſtiores, in majorem demum diametrum vergens, uti ſunt bronchia & aſpera arteria, & per hanc in faucium cavitatem, *conf.* LIDDELII *ars medica Lib. III. cap. IX. p. 338.*

§. XVII.

Aëris exſpirationem ſequitur ejusdem *inſpiratio*, & hæc eam excipit, & ſunt duo alternantes actus, ſine quibus reſpiratio concipi neutiquam poteſt; Quò citius itaque aër, intra pulmonum parenchyma receptus, iterum expellitur, eò citius iterum novus aër pulmonum intrat veſiculas. Sub quavis *aëris* in pulmones *immiſſione thorax dilatatur, coſtæ* mediante muſculorum motu *obliquè extrorſum flectuntur, diaphragma deorſum movetur*, ita ut ejus fornix ad figuram magis planam proveniat, quo motu *viſcera abdominis deorſum protruduntur* & quaſi *conquaſſantur*, hocque motu viſcerum abdominis conquaſſatorio *digeſtio ciborum, diſtributio* & *in-*

greſ-

greſſus chyli in vaſa lactea, *excretio urinæ, fecum alvinarum* & *circulus ſanguinis* per abdominis viſcera, egregiè *adjuvantur. Conf. Ill.* HOFFMANNI *Med. Syſt. Tom. I. p. 129.* Sub aëris ingreſſu in pulmones omnes tracheæ tubuli, omnesque iis annexæ veſiculæ inflantur & expanduntur, quâ expanſione omnia vaſa ſanguifera, etiam minutiſſima, complicata, exporriguntur & ampliora fiunt, ita ut ſanguinem ê cordis thalamo dextro, per arteriam pulmonalem appulſum, recipere & demum ad cor iterum urgere poſſint.

§. XVIII.

Sub *aëris* vero *expulſione*, ſeu *exſpiratione*, concidunt *pulmonum membranæ elaſticæ & fibroſæ*, ita ut vaſa venoſa non ſecus ac ſpongia comprimantur, & ex eorum ramuſculis ſanguis ad ramos majores urgeatur, donec in trunco venæ pulmonalis collectus refluat ad cordis regionem ſiniſtram. Sic ſanguinis circuitus per univerſum corporis ſyſtema ſine ſanguinis tranſitu per pulmones, & hic, uti deductum eſt, ſine reſpiratione in adultis, adeoque & vita non diu permanere poteſt in ſtatu integritatis, *vid.* AMMANNI *Med. crit. p. 302.* ita perhibentis: *Reſpirationis tanta in homine eſt neceſſitas, ut ſine eâ vita conſiſtere nequeat*, ſi excipias Urinatores, qui etiam ad tempus, aquis tumulati, ſine reſpiratione vivere poſſunt, ſalvo circulo ſanguinis per corpus. Quo auctior verò eſt hic pectoris motus, eò auctior, promptior & celerior etiam eſt circuitus ſanguinis per reliquas corporis partes, & quò auctior ſanguinis motus, eò major ipſius copia ſecernitur & perſpirat, *vid.* BELLINUS *Lib. de febribus p. 245.* Actus itaque reſpi-

rationis eſt ſummè neceſſarius ad circuli ſanguinis & vitæ conſervationem: Inter alios enim egregios, quos exſerit, uſus, non infimum obſidet ſubſellium ille, quo ſanguis per minutiſſima etiam vaſcula liberè promoveri poſſit: *Sanguinis* enim per pulmones tranſeuntis *partes* diverſæ indolis, *graves* ſcil. ac *leves*, *fluidæ* ac *ſolidæ*, motu contractorio & dilatatorio, quo gaudent pulmones, *concutiuntur*, *conquaſſantur* & *intimè miſcentur*, ut fluidus evadat idoneusque fiat vaſa etiam capillaria, hinc inde in machina corporis humani reperiunda, transgrediundi, *vid. Ill.* HOFFMANNI *Diſſ. de reſpirationis uſu in arte medica.* Chylus, qui primam nutritionis materiam recondit, ſine hoc pulmonum motu conquaſſatorio conſpirante, quo mediante ejus *partes crudiores* & *rudes comminuuntur* & *ſubtiliſantur*, cum ſanguine intimè miſceri, in ſanguinem commutari, ejusque naturam induere non poſſet. Quò major itaque, fortior & celerior eſt hic pulmonum motus contractorius & dilatatorius; eò melius etiam & celerius *partes ſanguinis* & *chyli graves, leves, ſolidæ* & *fluidæ* intimè *miſcentur*, *chylus* in *ſanguinem* transmutatur, *hic* vero *fluidior* redditur.

§. XIX.

Cum verò ſub *vocis exercitatione* hic motus pulmonum reciprocus, dilatatorius ſcil. & conſtrictorius, intenditur atque augetur, cuilibet prudentum concludere licet, uſus recenſitos eò magis ſecuturos eſſe *vocis exercitationem*: Si enim *loquimur*, ſive *vocem exercemus*, intenſius reſpirare cogimur, hinc crebrius pulmones dilatantur & collabaſcunt, ſive conſtringuntur,

partes ſanguinis & chyli acceſſi conquaſſantur, comminuuntur, attenuantur, inter ſe invicem intimè commiſcentur & ſanguis fludior redditur, ut eò melius per univerſum vaſculorum genus totius corporis propelli poſſit. *Vocis* etiam *exercitatio circuitum ſanguinis* inſigniter *auget*, ita ut fluidior factus eò melius ad extremos corporis tubulos urgeri & per hunc *tranſpiratio* promoveri & ſuſtentari poſſit. Veritatem hujus aſſerti teſtantur concionatores aliique rhetores, ê roſtris intenſiori voce proclamantes, qui loquendo circulum ſanguinis & calorem ita ſœpius augent, ut etiam ſub extremo frigore ſudare cogantur. Facit itaque *vocis exercitatio* ad *excretionem maximam* & *primariam*, quæ per cutis colatorium obtinetur, *expellit ſordes* & *partes heterogeneas inutiles, ſuperfluas* & *noxias*, uno verbo: *excrementitias, ſubtiles aquoſas ſalino-ſulphureas*, & ſanguinem ſic purificando *conſervat integram ſanitatem* & impedit, quò minus morbi acuti & epidemici in ſcenam prodire ſuamque tragœdiam ſub genere humano ludere poſſint.

§. XX.

Adjuvat etiam *digeſtionem* & *chylificationem vocis exercitatio:* Nam ſub diaphragmatis reciproco deſcenſu, qui inſigniter ſub loquendo augetur, celerior & citatior fit, *omnia abdominis viſcera* inſigniter *comprimuntur;* hinc etiam *ingeſta & in ventriculo contenta alimenta* hoc motu compreſſorio magis magisque *comminuuntur, attenuantur*, & menſtruis adjuvantibus *intimè reſolvuntur. Qualis ergo diſſolutio alimentorum & chymus, talis* etiam *chylus.:* Si enim alimenta ritè conquaſſantur,

 com-

comminuuntur & intimè ſolvuntur, chymus fit tenuis & ſubtilis, è quo etiam laudabilis, tenuis & ſufficienter fluidus chylus elici poteſt, qualis requiritur ad ingreſſum in vaſa anguſtiora, qualia ſunt vaſa lactea. Blandè etiam hic motus diaphragmatis, viſcera abdominis comprimendo, *Chylum* inſuper *transprimit* per tunicam villoſam in vaſorum lacteorum orificia, relictis alimentorum partibus craſſioribus, & ſic *Chyli ſecretionem & motum* egregiè *ſuſtentat*. Suum quoque confert ſymbolum ad *expeditiorem ſanguinis motum* per viſcera abdominis hoc motu conquaſſatorio, nec non *ad bilis & ſucci pancreatici ſecretionem*. *Adjuvat* etiam, muſculorum abdominis compreſſione, quæ diaphragmatis deſcenſum ſequitur, *fecum alvinarum, urinæ, fœtus & ſecundinarum excluſionem*. Non ſine ratione etiam aſſerere poſſumus, *ſermocinationem ſalivæ expreſſioni* multum inſervire, ob glandularum variam ſub loquela modificationem & compreſſionem, quare etiam cibi ore maſticati eò melius & intimius demum ſolvi poſſunt in ventriculo.

§. XXI.

Annuentes in hac ſententia & conſentientes habemus varios & maximos Medicos, quos inter omnium primo Principem Medicorum Hallenſium Hippocratem, Illuſtr. ſc. HOFFMANNUM, nominare licet. Dicit enim, ſufficienti ratione nixus, *vociferationem ſanguinis augere circulationem*; vid. *ejus Med. Syſt. Tom. I. p. 129. ſanitatem conſervare & ventriculum juvare, ibid. p. 403. perſpirationem augere.* Hinc etiam Veteres iis, quibus membrorum, præſertim pedum, debilitas motum & labores denegavit, mirificè commendârunt intenſio-

rem

rem *vocis exercitationem.* Nulla etiam motionum ſpecies, præter deambulationem, literatis magis quadrat, quam *vocis exercitatio. Uſus ſermonis, voce pronunciati, quotidianus mirum dictu quam utile eſt genus exercitationis, non ad ſanitatem duntaxat, ſed & ad vires, non quidem athleticas eas, aut quæ carnes augeant, ſed quia principibus corporis membris, penes quæ vitæ potiſſimum facultas eſt, naturale robur verumque vigorem ingenerat.* PLVTARCH. *Tom. II. p. 130.* Conf. PLEMPIVS *de ſanitate tuenda. Vocis exercitatio ſtomachi vitiis expedit:* Nam ab hac aucta repetita diaphragmatis commotione abdominis viſcera leniter & blandè conquaſſantur, ita ut intra viſcerum diverticula ſtagnantes humores, qui aliàs ad acidas diſponunt cruditates, diſcutiantur, de quâ materia pulchrè ſanè ſcripſit AETIVS *Serm. III. Cap. V.* ſequentem in modum: *Vox egregiè convenit ſtomacho laborantibus & acidum eructantibus.*

§. XXII.

Non dubitamus inquit COSCHWITZIVS *in ſuo Organiſmo & Mechaniſmo in homine vivo obvio & ſtabilito, p. 260. ſermocinationes clarâ voce celebratas, ad motuum ſpecies eſſe referendas, corporis ſalubritatem promoventes. Sermocinatio, ſive vocis exercitatio*, motum reſpirationis auctiorem & diaphragmatis & muſculorum abdominis frequentiorem reddens, ventriculum, inteſtina & viſcera Venæ Portæ contigua blandè movet, *negotium digeſtionis & diſtributionis chyli promovet, inteſtina â flatibus expedit, & alvinam etiam excretionem*, cœteris paribus, *expeditiorem reddit*, teſtante eodem Celeberrimo Autore *l. c. p. 261.* Uti corporis exercitium in genere

ſan-

ſanguinem nimis ſpiſſum & glutinoſum, qualis eſt vitæ ſedentariæ addictorum, tenuem, fluidum & ad motum progreſſivum aptum reddit, id quoque in ſpecie *clarâ voce & intenſo ſermone* obtinetur & perficitur, *corpus calore & ſudore perfunditur, perſpiratio augetur & pulſus celerior fit;* teſtante hoc Illuſtr. HOFFMANNO *in Med. Syſt. Tom. III. p. 129.* *Dum enim*, inquit, *ſub loquela vox intenditur, citatior quoque fit perſpiratio, & pulmonum expanſio, cum reciproco collapſu, acceleratur, unde ſanguis celerius per pulmonum compagem trajicitur ad cordis ventriculum ſiniſtrum, ex hoc incitatius, ad canales appenſos, per univerſum corpus traditur, tandemque auctiori facto ubique circulo, velocius ad dextrum ventriculum agitur, priſtinumque iter relegit.*

§. XXIII.

Idem Autor graviſſimus eximiè collaudat *claræ lectionis uſum, in Diſſ. de Valetudine Senum tuenda*, ita exclamans: *Dum elatâ voce diutius emiſſâ reſpiratio intenditur, non ſolum pulmones crebrius attolluntur, latius panduntur, incaleſcunt & cum aëre ſordes eliduntur; ſed univerſus etiam ſanguinis circulus, cum calore, ſpiritu & perſpiratione augetur, quo fit, ut partibus robur omnesque in corpore functiones expeditius & melius ſuccedant.* Autore etiam CELSO *figuratâ voce lectio inſtituta ventriculo maximè ingenerat & conciliat robur, ciborumque concoctioni & ſolutioni intimè inſervit.* Motis enim, *ſub ſermone*, thoracis, ſepti transverſi & abdominis muſculis, vicinus & adjacens ventriculus comprimitur & conquaſſatur, ut non ſolum impulſus fluidi nervei & ſanguinis arterioſi in ejus tunicas augeatur, ſed & major fiat affluxus ſalivæ & liquoris gaſtrici.

Teſta-

Teſtatur hoc etiam quotidiana experientia, optima rerum magiſtra, quod ſc. publicè docentes, ut ſacerdotes & in Academiis Profeſſores, ut & in ſcholis inferioribus docentes, *vocis beneficio*, demtis maximâ ex parte aliis motuum ſpeciebus, ſuum exerceant corpus, *ſanitatem conſervent illibatam*, & ut plurimum *longævi*, ſi potiſſimum abſtineant â fortioribus animi affectibus, *evadant*, quod multis exemplis, ſi tempus & ſcribendi ratio permitteret, illuſtrari poſſet. Ob eandem rationem *Cl.* BEHRENS *in ſua Diſſ. de virginum diæta, ſub Ill.* HOFFMANNI *Præſidio habita*, virginibus carminum cantationes quam maximè commendat, quia *hâc* etiam *vocis exercitatione ſanguis ſubtiliſatur, tranſpiratio augetur* & demum etiam *animus recreatur.*

§. XXIV.

Teſte LUCIANO *Lib. ad Macrob. p. 827.* maximè omnium ii longam vixerunt vitam, quos orationis capiebat ornatus, qui *ſcil. vocis exercitationi*, ſub debitis cautelis, indulgebant. Perpulchrè itaque dicit *Ill.* HOFFMANNUS *in Diſſ. de motu optima corporis medicina p. 25. Vox, cum fiat reſpiratione adauctâ, quâ ſanguinis impulſus in cor & tranſitus per pulmones citatior fit, ob pulmonum reciprocam & crebriorem dilatationem ac compreſſionem calorem adauget, ſanguinem attenuat, venas expurgat, arterias aperit, coire & concreſcere humorem ſupervacaneum non patitur.* Tria verò potiſſimum dantur *vocis exercitia*, e.g. *vociferatio*, aut *cantus*, *lectio*, aut *recitatio clara*, & *ſermocinatio*, quæ gradu ſaltem differunt, *conf. Ill.* HOFFMANNI *Diſſ. de reſpirationis uſu in arte Medica.* Modum vociferationem adhi-

bendi, ut & commoda, quæ ab illâ expectantur, prolixis ſanè deſcribit verbis AETIUS *L. I. Serm. III. Cap. V. Vociferatio*, enim inquit, *exercitatio pectoris & vocalium inſtrumentorum, inſuperque caloris naturalis purgans, attenuans & roborans, & corporis partes ſolidas & robuſtas reddens, ut non facilè affectionibus impetantur. Utendum eſt vociferatione in anheloſis & rectâ cervice ſpirantibus, tabidisque & doloribus diutinis pectoris ac dorſi, & in pectoralibus abſceſſibus poſt rupturam, & ad raucam vocem ex plurimâ humiditate factam, & in febribus quartanis; Nam concretum humorem convenientiſſimè excutit & ſtomachi humiditatem, quam privatim quartana febris inducere ſolet, expellit. Convenit etiam ſtomachicis, præſertim aſſiduè vomentibus & acidum ructantibus; at enim vero capitis affectionibus incommodiſſima vociferatio exiſtit. Cœterum, qui vociferatione uſurus eſt, alvo prius exonerato & infernis partibus ſenſim confrictis, lotaque facie placidè perfuſa, & ubi mox â ſomno ſe moderatè loquendo & deambulando præparaverit, ita tandem ad vociferationem debet progredi. In ipsâ autem vociferatione concinnitas & vocis bonitas & jucunditas nihil contulerunt ad ſanitatem, verum graviorum vocum ſonus utilis exiſtit; quare in hoc ſe exercere oportet. Sic enim plurimus aër, in reſpiratione attractus, pectus diſtendit & alvum & totius corporis meatus dilatat, unde in vociferationibus & concitatis lectionibus redundantium humorum excretiones contingunt; & in iis quidem, qui contitatius legunt, magis, & per ſudores; qui vero mitius vocem intendunt, per occultam tranſpirationem. Nam tota corporis moles in lectionibus & vociferationibus intenditur. Contingit item, propter attenuationem ex motu factam, multa ſputa reſoluta, mucumque ac pituitam excerni. Porro iis, qui propter frigiditatem caliditate opus habent,*

quod-

quodnam commodius auxilium afferri queat, quam actio per reſpirationem? Oportet itaque ſæpe legere & univerſum corpus relaxare, fuſaque carne ad corporis rarefactionem, aſperam arteriam & alios ſpiritûs exitus commodè diſtendere & graviſſimas voces concinnè ſonare. Conf. ORIBASIVS *Lib. VI. Collect. ad Julianum Cap. IX. & X.* & MERCVRIALIS *de art. gymn. Lib. III. Cap. VII. & Lib. VI. Cap. V.*

§. XXV.

Varios & egregios ſanè enarrat uſus *ex vocis exercitatione* fortiori, laudatus AETIVS, annexis hinc inde cautelis circa eam obſervandis. Hâc occaſione incidit in mentem ſingularis caſus, de ægro Cynanche affecto, cui, ob neglectam tempeſtivam diſcuſſionem, ſuppuratio obveniebat. Vir Celeberrimus, nomine PITSCHMANNVS, *Subrector* olim *Gymnaſii Zittavienſis*, nunc vero *Eccleſiaſtes* & *Catecheta* ibidem, corporis obeſi & ſucci pleni, Cynanche corripiebatur, quæ inflammatio muſculorum laryngis, ob tempeſtivam neglectam reſolutionem & diſcusſionem, in ſuppurationem tranſiebat, cum ſummâ reſpirandi difficultate & *dempto* ferè *ſermonis uſu.* Hunc viſitandi, amicitia collegiali commotus, accedebat tandem Collega ultimus, egregius *Arithmeticus*, nomine PESCHECKIVS, qui illum continuè variis quæſtionibus, de ſtatu & indole ſui affectus inſtitutis, licet ipſi libera loquendi facultas non conceſſa erat, fatigabat & quaſi oneroſus ipſi fiebat, ita ut tandem, tædio, audiendi ejusmodi ſœpius prolatas etiam frivolas quæſtiones, commotus, intenſiori & fortiori paululum voce ipſi ſilentium imponere æger conaretur, quo excitato fortiori motu & mu-

ſculorum circa collum agitatione, feliciter evenit, ut hoc apoſtema ad apertionem perveniret, atque contenta efflueret materia & æger ſanus evaderet; ê quo caſu ſingularis etiam *uſus ſermocinationis* ſub morbis facili negotio erui poteſt. In genere *vocis exercitatio* omnibus iis morbis confert & quadrat, quibus motus ſanguinis auctior, & viſcerum abdominis â diaphragmate repetitæ ſuccuſſiones ſalutares exiſtunt. *conf. Ill.* HOFFMANNI *Diſſ. de reſpirationis uſu in arte medica.*

§. XXVI.

CELSVS tandem etiam aſſerit *Lib. I. Cap. VIII. concoctionem tardam â lectione clarâ juvari*, & PLINIVS perhibet teſtimonium *Lib. IX. Epiſt. XXXVI. ſe orationem græcam latinamve clarè & intentè, non tam vocis cauſa, quam ſtomachi, legere conſueviſſe.* Quibus adſtipulans PLVTARCHVS, plures hujus exercitationis uſus commendat his verbis: *Calorem auget; ſanguinem attenuat; omnes venas perpurgat, arteriasque aperit, atque humores ſuperfluos colligi non ſinit: Cantus, vociferatio & lectio clara* thoracem & fauces magis exercent, *conf.* SENNERTI *Inſt. Medicinæ p. 861.* quare etiam ad has partes firmandas & roborandas egregiè quadrant. SCHITLERVS *de Peſte*, itidem *vocis exercitationem* eorum adſcribit caſtris, quæ contra peſtem imminentem præmuniunt; dicit enim l. c. *Exerceatur corpus ante cibum* (determinat etiam tempus adæquatum,) *cantando, intenſa voce legendo, ut calor naturalis, qui quaſi ſopitus jacet, motu excitetur. Ventriculo* egregiè *conducere vocis exercitationem*, inter alios etiam teſtatur GRATAROLVS *in Lib. de literatorum conſervanda valetudine p. 768.* dicens: *Vocem humilem primo, deinde altam*

legen-

legendo mittere, (quo graduum obſervantiam inculcat,) *linguæ, gutturis, pectoris & pulmonis eſt exercitatio, quæ etiam ventriculo conferre ſolet.*

§. XXVII.

Sœpius laudatum primæ magnitudinis Sidus Hallenſe, Illuſtr. HOFFMANNVS, fuſius loquitur de ſermocinationis uſu egregio in ſuis ſcriptis diæteticis, *Tom. V.* profert enim *l. c. p. 315.* verba hujus tenoris: Wenn man ſtarck reden muß, und damit lange anhält, ſo wird die Lunge ſtärcker und öffter, als gewöhnlich, angegriffen, und alſo das Blut ſtärcker durch den gantzen Leib herumgetrieben, folglich auch mercklich erhitzet und die Tranſpiration befördert. Idem Autor graviſſimus *eodem loco pag. ſequentibus,* rationes ſolidè enucleat, quare vox intenſior paululum proficua ſit, præprimis *ventriculo.* Dicit itaque: Daß aber eine laute Ausſprache und langes Reden, mit erhobener Stimme, dem Magen vor andern dienet, kommt daher, weil durch die öfftere Ausdehnung der Lunge beym Athem-hohlen zugleich das Diaphragma allemahl beweget wird, und zu gleicher Zeit der Magen, als welcher mit dieſer Haut genau zuſammen hänget, und zugleich beweget wird. Dadurch werden die im Magen geſammlete ſauere Feuchtigkeiten, und was etwa von unverdaueten Speiſen zurück blieben wäre, zugleich gedrückt und heraus getrieben; zu geſchweigen, daß ſich vielmehr, als ſonſt geſchehen würde, von demſelben Saffte, der zur Verdauung erfordert wird, abſondert und in den Magen fließet, (intelligit liquorem gaſtricum,) nachdem der Umlauff der gantzen Maſſe des Geblüthes ſtärcker und

geſchwinder worden iſt. *Conf. ejusd. Autoris* diætetiſche Schrifften *Tom. VII. p. 46.*; ubi dicit: Durch das lange und laute Leſen wird das Athem-hohlen verſtärcket, und ſolchergeſtalt nicht nur die Lunge öffter beweget, weiter ausgedehnet und wärmer, und kommen die Unreinigkeiten mit der Lufft fort; ſondern es gehet auch der Umlauf des Geblüthes hurtiger, die Wärme nimmt zu, die Säffte werden Geiſt-reicher, und die Ausdünſtung gehet beſſer von ſtatten: Hiedurch bekommen aber die Theile des Leibes friſche Kräffte, und alle Functiones werden hurtiger und beſſer vollbracht. Quos egregios *vocis* uſus, ratione prius deductos, experientiâ demum comprobavit & confirmavit.

§. XXIIX.

Uti per varia exempla hactenus monſtratum fuit, uſum hujus exercitationis etiam venerandæ antiquitati cognitum perſpectumque fuiſſe, quam curæ cordique habuerunt Medici antiquiſſimi, quos inter nominare placet LEMNIUM, *qui Lib. I. de Complexionibus p. 49. a.* in ſequentia erumpit verba: *Quod, ſi certis intervallis* (loquitur enim de Muſica mentem hilarante,) *accedat clara lectio, ac vocalis ſonique intenſioris canora declamatio, dici vix queat, quantum pectori ejusque muſculis commodi attuleris; nec minorem fructum perceperis in dilatandis pulmonum fiſtulis, ac diſcutiendâ fuligine, quæ iis partibus inhæret, ſi cohibito parumper anhelitu, ac labris excitato poppyſmate ſonituque bomboſo, ſpiritum explodas.* Canendo concinnis ſanè verbis ſermocinationis uſum adſtruit EOBANUS *de tuenda bona valetudine*, ſequenti modo;

Utiliter vegetant vocalis verbera linguæ;

Vo-

Vociferationem & cantum thoraci conferre, teſtatur inter alios etiam PARTLICIUS de SPITZBERGK *in ſuo Syſtemate Medico harmonico p. 261.* Si ſcribendi ratio permitteret, ê Medicorum conſenſu *ſermocinationis* egregium *uſum* ad vitam & ſanitatem conſervandam, deducto eo prius â ratione, magis magisque firmare poſſem; Cum verò veritas rei ê rationis fonte, ab experientiâ & demum optimorum Medicorum autoritate & conſenſu deducta, probata & confirmata ſit, pro nunc huic ulteriori diſquiſitioni ſuperſedeo, breviter tantum adhuc explicans, quantum paginarum anguſtiæ ferent, *quomodo, quandó* & *quibus hæc exercitationum ſpecies conveniat & quadret*, ubi omnes ſingulasque cautelas, ad quas potiſſimum reſpiciendum, in ſcenam producemus.

§. XXIX.

De congruo motus inſtituendi modo itaque acturi, aſſerimus, *non eſſe exercendum ad laborem usque aut laſſitudinem incluſivè. Conf.* SANTORELLUS *de Sanitatis natura Lib. XXI. p. 481.* Uti enim ſumma & optima Medicina, qualem etiam conſtituit *vocis exercitatio*, niſi ſub omni cautione uſurpetur, magis erit noxia, quam proficua, ita quoque *vocis exercitatio*, tanquam motuum ſpecies, variis indiget cautelis & præcautionibus, ne emolumenti loco, quod ab illâ expectamus, noceamus. Si enim intenſius & quidem per longum loquimur tempus, omnes ſanè noſtri corporis vires laſſantur, franguntur, enervantur, ita ut inſignis corpus occupet laſſitudo, vel potius fatigatio, quam veritatem omnes ferè teſtantur concionatores & docentes, qui, peracto

ſuo

ſuo labore, de ſingulari ſœpius queruntur laſſitudine & fatigatione. Dicit itaque GALENVS *3. art. m. 12. cum primum laſſari cœperit corpus, confeſtim quieſcere debet;* quod etiam teſtatur HIPPOCRATES *Aph. 48. Sect. II.* Uti itaque ab omni exercitiorum genere recedendum, ſi ad laſſitudinem pervenerint; ſic quoque ſana dictitat ratio, hanc cautelam etiam adhibendam eſſe circa vocis exercitationem. *Nam,* inquit SANTORELLVS l. c. *non decet, cum de ſervanda valetudine agitur, affectum præter naturam* (cujusmodi eſt laſſitudo,) *inducere.* Nunquam itaque erit ad laſſitudinis usque initium exercendum: Nam ubi corpus incipit laborare, vires non ſunt amplius aptæ motum ferendi; his vero deficientibus abſtinere oportet. Multi, præprimis imbecilles, antequam ſe tradant exercitio, laſſati ſunt; alii, vix aliquam motuum ſpeciem aggreſſi, laſſitudinem ſentiunt, quod potiſſimum viſcerum obſtructione laborantibus evenit; hinc, quod gradum & proportionem motus in genere, ut & vocis exercitationis in ſpecie attinet, quilibet prudentum illum virium proportioni, quid ſc. ferre poſſint, quid verò recuſent, accommodabit. Omnia concedimus, ſi ſub voce laſſitudinis fatigatio intelligitur: Meritò enim diſtinguendum eſſe judico inter *laſſitudinem & fatigationem.* Nam ſi accuratè rem examinemus, laſſitudo nihil aliud eſt, quam *gravitas membrorum* ex motu profecta, & hæc nequaquam eſt præter naturam. Perpulchrè etiam diſtinguit CELSVS *Lib. I. Cap. II. p. 22.* inter *laſſitudinem & fatigationem; Exercitationis* enim, inquit, *finis plerumque ſudor eſſe debet, aut certè laſſitudo, quæ citra fatigationem fit. Fati-*

gatio

gatio enim *nimietatem ſignificat & involvit*; unde Poëta:

Veloces jaculo cervos curſuque fatigat.

§. XXX.

Licet *Arabes*, ut AVICENNA 3. *I.* ſtatuerunt, exercendum eſſe usque *ad caloris deflorationem*; nihilominus tamen parcendum eſt exercitio, cum vividus vegetusque color corporis defloreſcit. *Conf.* SANTORELLUS l. c. Fit enim *defloratio* hæc, *diſſipato ſanguine, exhauſtis viribus* & ſic dictis *ſpiritibus animalibus.* Erumpente ſudore quoque eſt recedendum â motu; (ita etiam â vocis exercitatione;) cum verò multi difficillimè ſudant, facillimè alii, debitam menſuram hinc in hâc exercendi ſpecie, quilibet ipſe obſervabit. Teneri, vel per ſtructuram vel conſuetudinem corpore debilitati, & eximiè plethorici, vehementes motus in genere perferre non poſſunt. Conf. COSCHWITZIUS l.c. Ejusmodi etiam homines ſibi caveant â fortiori & vehementiori vocis exercitatione, quoniam plus illâ læduntur; & hunc ordinem ſemper debent ſervare, ut gradatim vocem elevent & intenſiorem reddant in loquendo. Quia verò vocis exercitationis quatuor potiſſimum dantur gradus, ſeu ſpecies, e. g. *cantus*, *vociferatio*, *lectio*, *ſive recitatio clara*, & *ſermocinatio*, levior ſanè gradus eligendus eſt pro ejusmodi hominibus, ne proportionis, ſive æquilibrii, inter vires ſubjecti & vocis exercitationem, turbetur circulus: Nam ſi quis e. g. orator ſacer vel profanus, tenerioris corporis & mollioris texturæ, vel ſummè plethoricus, inter concionandum nimiâ agitatur contentione & fervore, ita ut in-

 tenſius

tenſius loquatur, vocemque elevet, incidit facillimè in Hæmoptyſin; ſemper itaque quædam ſervanda eſt proportio, quod inter alios etiam teſtatur QVERCETANVS *l.c. Exercitia* (quorum caſtris etiam adſcribitur vocis exercitatio,) *congruant cum Natura & complexione ejus, qui iis utitur.* Continuanda verò ſunt, ideoque *vocis exercitatio* ad debitam usque intumeſcentiam & totius corporis calorem æqualem, donec corpus appareat floridum, nec non laſſitudine affici incipiat & ſudor modicus, aut ſaltem calidus vapor erumpat. *Conf.* Illuſtr. HOFFMANNI *Diſſ. de motu corporis optima Medicina &* LIDDELII *Ars Medica Lib. V. Cap. XXIII. p. 859.* JACHÆI *Inſt. Med. Lib. VI. p. 423. ſeq.* SENNERTI *Inſtit. Med. Lib. IV.* quorum aliquo apparente, deſiſtendum eſt ab exercitatione, juxta *Aph.* HIPPOCRATIS *Sect. II.* In omni corporis motu, quando dolere cœperit, interquieſcere ſtatim laſſitudinem curat. Nam, ſi ultra modum inſtituitur *hæc exercitatio*, major partium tenuium copia ê ſuccis nutritiis propellitur in auras, quam ab alimentis ſingulis diebus reparari poteſt. Semper verò proportio intercedere debet quoad *ingeſtiones & egeſtiones*, quare, ſi *egeſtiones* ſunt *majores*, ſucci, qui aliàs blandè inter ſe moverentur, incraſſantur & in motu remorantur.

§. XXXI.

Autor ſuaſorque eſt SCHITLERVS *l.c.* exercitium noſtri corporis temperatum eſſe debere, *non forte*, ut inquit, *ne ſudor eliceatur & corpus reddatur imbecillius, rarum & tranſpirabile. Quapropter omnia exercitia fortiora, ut ſunt ſaltus, labores graves, curſitationes, choreæ, &c.*

ſunt

ſunt vitanda. Mediocre quidem præ his exercitium eſt *vocis exercitatio*, excedi tamen poteſt in eâ, ſi nimis intenditur & diu durat, ita ut emolumenti loco varia ſanitatis detrimenta redundent in genus humanum; *conf. Ill.* HOFFMANNI *diætetiſche* Schrifften *Tom. IV. p. 318.* hinc cum grano ſalis huic indulgendum eſt exercitationi, & quidem hâc cautelâ, ne impetuoſè cum illâ periculum faciamus, ſed per gradus ei inſiſtamus: Nam tota *Natura* amat per *gradus* operari, non verò per *ſaltus*, & omne, quod in totâ Naturâ fieri ſolet, naturali modo fit per *gradus*, quod GRATAROLVS *l. c. p. 762.* his verbis: *Vocem humilem primò, deinde altam legendo mittere, ventriculo conferre ſolet*, indigitare videtur. Modica itaque ſit hæc exercitatio & non nimis diu duret, ſi uſu ab eâ expectando frui velimus. Præprimis verò hæc cautela obſervanda eſt in morbis, præſertim in peſte, quod *Oder*, in Tractatu de peſte, his verbis teſtatur: Alle hefftige Leibes-Bewegung, wie ſie den Nahmen haben mag, unter dem Himmel, in freyer Lufft, iſt in dieſen Zeiten an denen Orten, wo die Lufft vergifftet iſt, zum höchſten ſchädlich, denn dadurch viel Athens geholet, und alſo die gifftige Lufft mit Hauffen zum Hertzen gezogen wird. Nec *hæc exercitatio* ſubitò, nec temerè, ſuſcipienda eſt in ſanis & ægris. Inculcare omnibus quidem hoc axioma ſtudet HEVRNIVS *in Lib. II.* de laboribus in genere; quod verò valet de genere, valebit etiam de ſpecie. Semper itaque etiam in hâc motuum ſpecie, uti in reliquis, proportio tenenda eſt adæquata inter exercitationis qualitatem & vires, quæ ſecundum ſexus, æta-

tis, temperamenti & ſanitatis diverſitatem differunt. Dicit enim SENNERTUS *l. c. Gracilioribus corporibus moderatior, robuſtioribus major motus convenientior.* Licet omnia hæc veritatis non careant ſplendore, nihilominus tamen conſuetudini interdum eſt cedendum ejusque ratio habenda, juxta *illud* HIPPOCRATICUM 2. *Aph.* 49. Quotidianis laboribus aſſueti, etſi ſint invalidi & ſenes, inſuetis, quamvis robuſtis & juvenibus, facilius aſſueta ferunt exercitia. Dicitur enim: Conſuetudo altera eſt natura. In quibus itaque *vocis exercitatio* in habitum deducta fuit, illi etiam eam melius, etſi etiam quidam intercurreret in eâ exceſſus, perferre poſſunt, quam illi, qui loquendi artem vel non profitentur, vel rarò exercent. Nam motu partes fiunt firmiores & robuſtiores, præſertim eæ, quæ motui crebriori dicatæ ſunt, ita, ut motu firmatæ non tam facilè ab eo lædi & affici poſſint. Uti per gradus vocis exercitatio incipienda, ſic quoque ab eâ recedendum erit per gradus; nam, ſi uno ictu deſiſtamus, vel incipiamus, nocivum eſt, quia *omnis mutatio repentina*, ſecundum HIPPOCRATEM, *periculoſa.*

§. XXXII.

Vocis exercitationis perluſtrato modo, quantum ob paginarum anguſtiam licuit, *quomodo* ſcil. hæc exercitiorum ſpecies in uſum vocari, quibusque cautelis concomitari debeat, paululum in *tempus*, quando ſcil. huic exercitationi indulgendum, inveſtigare volupe eſt. De opportuno itaque *vocem exercendi tempore* acturi, ſtatuimus potiſſimum etiam reſpiciendum eſſe circa illud ad quatuor *primaria anni tempora*, dein *an tempe-*

ſtas

ſtas adſit *pluvioſa, ventoſa, nivoſa, nubiloſa, obſcura, calida, frigida, ſicca* & *humida*, quoniam non omnibus ſub ejusmodi conditionatâ tempeſtate *vocem exercere* convenit; dein etiam determinandum erit, *quâ parte diei, an jejuno vel repleto ſtomacho, vox ſit exercenda.* Fatetur SANTORELLVS *l. c.* in genere *tempora* cavenda eſſe pluvioſa, ventoſa, calidiora, frigidiora, ne multò plus lædamur ab aëris injuriis, quam juvemur â motu. Si verò, quid nobis placeat, fatendum eſt circa hanc ſententiam, non univerſalitate gaudet, ſed reſtringenda eſt ſecundum diverſitatem ſubjectorum, ratione ſexûs, ætatis, temperamenti, &c. Sic e. g. *tempeſtate humidâ, nubiloſâ* & *pluvioſâ* nonnulli inſigniter læduntur, alii verò inſigne reportant emolumentum. Ii, quorum corpora fibris ſiccioribus, denſis, duris, robuſtis & ſtrictioribus conſtant, ex ejusmodi conditionatâ tempeſtate ingentem hauriunt utilitatem: Nam fibræ aliàs, ob nimiam ſiccitatem, denſitatem, ſtricturam & quaſi rigiditatem ad motus ſubeundos inertes, paululum relaxantur & emolliuntur, ita ut motus & ſenſationes melius per eas celebrari poſſint. Nam ad motus perficiendos & ſenſationes percipiendas requiritur potiſſimum, ut proportionatus adſit tonus fibrarum eæque ſufficienti perfuſæ humiditate. Si verò nimis ſiccæ & ſtrictæ exiſtunt fibræ, tempeſtas quoque ſicca & calida concurrit, fibræ magis exſiccantur & dicta proportio tollitur. Evenit hinc, homines habitûs corporis denſi & ſtrictioris, tempeſtatem ſiccam & calidam æque ferre non poſſe: Obſervamus enim, quod ſub hâc motus paululum turbentur & ſenſus vacillare in-

cipiant, ê contra verò ſuperveniente *tempeſtate humidâ, nebuloſâ & pluvioſâ*, ſenſus acutiores fieri & motus melius celebrari poſſe.

§. XXXIII.

Temperamenti itaque ſicci & calidi, e. g. Cholerici & Melancholici, hominibus, qui fibris ſiccis, denſis, duris & ſtrictioribus gaudent, magis convenit & proficua eſt *tempeſtas humida, nebuloſa & pluvioſa*, quoniam fibræ hâc paululum relaxantur & aptiores evadunt ad motus ſuſcipiendos & ſenſationes percipiendas. Si itaque pulmones nimis ſicci ſunt, conducit ſub hâc tempeſtate *vocem exercere*, quoniam ſub hoc exercitio aër humidus majori copiâ pulmones intrat, eosque moderatè relaxat & humectat, ê contra vero ii, quorum pulmones laxiores & humidiores exiſtunt, fugiant ejusmodi tempeſtatem & abſtineant â *vocis exercitatione*, quia aliàs nimium relaxantur & emolliuntur, ita ut æquilibrium toni & humiditatis tollatur. Quoniam etiam nebula ſæpius ſtipata & referta eſt particulis heterogeneis, ſalino-ſulphureis & noxiis, tutius eſt abſtinere â *ſermocinatione*, hâc eveniente tempeſtatis conditione, ne forſan lædantur. Quilibet itaque ê ſtructura & conditione ſui corporis colligere perquam facilè poterit, an magis conſultum ſit *vocis exercitationi* indulgere ſub tempeſtate humidâ, nebulosâ & pluviosâ, vel ſiccâ & calidâ. Sic melius agunt alii, qui æſtatis tempore motibus operam navare ſtudent, alii, qui hyemali corpus exercent. Sub æſtate ordinariè corpora majori aſſantur calore, & vi caloris ſanguis in vaſorum alveolis ultra modum ſæpius expanditur, ita ut corpus

tumi-

tumidum & vaſa turgida fiant, tonus frangatur &, uno verbo, motuum æquilibrium tollatur. Motûs proprium eſt calorem acuere, hinc, ſi *vocem* ſub hâc anni periodo exerceamus, motus & calor corporis inſigniter acuitur &, ſi huic *exercitationi* diu & quidem ſingulari animi fervore inſiſtamus, coordinatio motuum inſigniter læditur & intemperies excluditur. Præprimis hoc contingit in iis, qui ſanguinem alunt in vaſis tenuem, fluidum, ſpirituoſum & valdè ſulphureum, qualis eſt ſanguineorum & cholericorum. Sub hoc itaque fortiori motu partes ſanguinis temperatæ magis reſolvuntur, intemperatæ fiunt & excrementitiæ; hinc ſedulò evitentur æſtate fortiores *ſermocinationes* omnesque *vocis exercitationes* ab *hominibus junioribus, temperamenti Cholerici & Sanguinei.* E contra verò *Phlegmatici & Melancholici huic exercitationi* magis operam dare poſſunt: *Phlegmatici* enim abundant humoribus præſertim aqueis, qui fibras molliores & laxiores reddunt & relaxatione quaſi enervant; hinc, ſi fortiter paululum *vocem* exerceant, *excretio* augetur *peripherica* & nimiæ partes aquoſæ corpori ſubtrahuntur, ita ut tonus ſolidorum firmior fieri poſſit. *Melancholicorum* corpora rigantur ſanguine craſſo, multis partibus terreſtribus prædominantibus referto; hinc hoc tempore iis conveniet fortior paululum *vocis exercitatio.* Quoniam motu augetur calor, calore verò & motu humores craſſi tenues fluidioresque fiunt & attenuantur, ita ut propter hanc indolem humores eò melius per totum volvi poſſint genus vaſculoſum. Cavendum verò eſt â nimia *vocis exercitatione*, largiori ſudore

dore concomitata, quia aliàs partes aquoſæ nimis exhalant avolantque & ſanguis ſuâ proportione in mixtione & juſtâ fluiditate privatur.

§. XXXIV.

Cum verò hyeme pori cutis clauſi ſint, tranſpiratio minor & hinc major intra corpus collectio & accumulatio partium heterogenearum, ſuperfluarum, inutilium & excrementitiarum, utique convenit ſub hac anni periodo motui largiori ſtudere; *conf.* HIPPOCRATES *Lib. de ſal. diæt. §. 11.* ita ut debita corporis exhalatio, quâ corpus repurgatur â partibus excrementitiis, conſervetur, ne nimia fiat humorum collectio, quâ generaliter motuum æquilibrium, fluidis ſc. ſolidas ſuperantibus, tollitur & propter partium excrementitiarum accumulationem varii in ſcenam prodire ſolent morbi. Hæc vero *motuum ſpecies* pro cujuslibet individui diſpoſitione modificanda eſt, ut *proportio & menſura* quædam ſemper *teneatur*, quam quilibet prudentum facile dijudicare poterit. Cavendum verò eſt, ne ſudor motu elicitus intempeſtivè â frigore coërceatur, ne ab intempeſtivâ mutatione malè quisquam afficiatur. Cavendum quoque, ne quis nudus motui huic indulgeat, quia nempe ingens diſcrimen imminet ab aëre frigido; nec peracto motu & ſudore prorumpente, integumenta corporis artificialia, veſtes ſc. ſunt deponenda, quia aliàs ab aëre frigido ambiente nimis ſubitanea ſequitur corporis alteratio, conſtrictio ſc. pororum & ſudoris cohibitio; quæ innumera poſt ſe trahunt damna & incommoda. Quia etiam nebulæ potiſſimum refertæ ſunt particulis heterogeneis & noxiis, quantum

tum fieri poteſt, abſtinendum eſt ſub tempeſtate nebuloſa â *vocis exercitatione*, quia aliàs ſub largiori reſpiratione una cum aëre noxiæ particulæ corpus intrant. Quia itaque nullo quam veris tempore frequentiores & crebriores dantur nebulæ, uti demonſtratum fuit â Dn. D. EHRLICHIO *in Diſſ. de noxis ex ſepultura in templis factâ oriundis, Præſide* B. COSCHWITZIO *habitâ*, eo præſertim tempore non conſultum eſt ſub *vocis exercitatione* nebuloſo aëri ſe committere. Præter hæc non inconſultum erit hâc anni periodo reſpectu hyemis *hanc motuum ſpeciem* paululum minuere, ob minorem frigoris vehementiam tunc temporis evenientem, reſpectu vero æſtatis paululum augere, ob caloris clementiam. Æſtate enim major eſt calor; hinc eo tempore mitior & remiſſior ſit motus corporis, cujuscunque etiam ſit generis. Conf. LOEBERI *Anchora Sanitatis.* Vere itaque incipiente fortior paululum ſit *vocis exercitatio*, quam circa ejus finem. Autumno verò incipiente mitior ſit *hæc motuum ſpecies*, gradatim verò & frigore imminente augenda erit. Sub æſtate, â caloris vehementiâ, nimia particularum ſalino-ſulphurearum in ſanguine procreatur copia; hinc autumno primo motus lenis eſſe debet, ne hæ particulæ ſalino-ſulphureæ nimis agitentur, & febriles excitentur commotiones.

§. XXXV.

In æſtate maximè prodeſt motibus operam navare *tempore matutino & circa veſperam;* tunc enim *aër* magis eſt *ſerenus, temperatè calidus & tranſpirationi* haud contrariatur. Conf. COSCHWITZIVS l. c. Vere vero

G & au-

& autumno ut & hyeme, tempore intermedio, duabus poſt ſolem exortum elapſis horis, ut frigus vitetur matutinum. Conf. GRATAROLVS l. c. ne fibræ â frigore aliàs rigidæ factæ, inertes evadant ad motus ſubeundos. Semper autem obſervari debent corporum conſtitutiones ſecundum SCHITLERVM l. c. & CELSVM l. c. SENNERTVS l. c. ſuadet etiam quam maximè ad anni tempus reſpicere. Dicit enim: *Æſtate levior & brevior exercitatio, hyeme verò major & diuturnior inſtituenda.* Habenda etiam *ratio loci* in exercitiis, teſtante SENNERTO l. c. Nam uti *exercitatio* in genere, ſic etiam *vocis* in ſpecie ſub ſole corpus plurimum calefacit, humores fundit, & iis, qui caput debile aut plenum, malam pectoris conformationem & pulmonum labem habent, ſummè eſt noxia; in loco verò *umbroſo omnis exercitatio* longè eſt tutior, ſi modo aër ſerenus & temperatus adſit, qualis ordinariè duabus horis poſt ſolis ortum & ante ejus occaſum obſervatur: Nam quælibet aëris intemperies ceu peſtis fugienda eſt ſub omni corporis motu, ê mente Illuſtr. HOFFMANNI *in Med. Syſt. Tom. I. p. 411.* ideoque etiam in *vocis exercitatione.* Dicit itaque graviſſimus Autor l. c. *Cavere oportet,* monente HIPPOCRATE, *â ſole meridiano, tempore præſertim æſtivo, mane autem ac veſperi inſtitutæ corporis commotiones egregiè faciunt ad ſanitatem.* Diſſuadet autem omnes corporis exercitationes HIPPOCRATES *Lib. III. de diæta §. 10. manè* & *veſperi, frigido* ſc. exiſtente *cœlo*, quando ſc. *frigoris vis* major eſt, quam *corporis motio,* quoniam frigus, rarefactos & expanſos corporis poros tubulosque ſubiens, ſolidis fluidisque perniciem

affert.

affert. Nocent etiam, ſecundum eundem Autorem, exercitia, quæ circa *flumina, ſtagna*, aut *nives* peraguntur, quare ſedulò ab iis cavendum. Motu vero peracto & tranſpiratione largius procedente, corpus calefactum frigidiori aëri nunquam eſt exponendum, niſi graves inflammationes, rhevmatiſmos & febres corpori velimus arceſſere. Præprimis verò evitanda eſt frigida potio, quia hæc in poros calore dilatatos ſe inſinuans, humoribus coagulum inducit liberoque ſanguinis circulo obicem ponit, unde inflammationes & viſcerum obſtructiones, non ſine inſigni periculo, enaſcuntur.

§. XXXVI.

An *vocis exercitatio ante cibum, vel poſt cœnam*, inſtituenda ſit, nunc explicandum veniet, in quo determinando tempore fundamenti loco prius de motibus in genere noſtram explicabimus mentem. Sana dictitat ratio, *motus præcedere debere cibos*, ut iis Ventriculus â ſuis liberetur & vindicetur cruditatibus, quæ aliàs digeſtionem & ſolutionem ciborum intimam impediunt, chylificationem turbant & minuunt, tonumque ventriculi & inteſtinorum frangunt, ê qua canalis alimentoſi pravâ conſtitutione innumeri procreantur morbi. Conf. Illuſtr. HOFFMANNI *Diſſ. de duodeno multorum morborum ſede*. Poſt cœnam verò & quidem intimè ſolutis cibis, motus corporis, præprimis verò *vocis exercitatio*, ob diaphragmatis & muſculorum abdominis crebriorem motum & agitationem, *chylificationem ejusque diſtributionem & motum* egregiè *adjuvat*; quare nonnullis poſt cœnam horis *vocis exercitationem* inſtituere con-

ſultum erit. Noſtrarum partium variis gaudemus defenſoribus, inter Medicos tàm antiquos, quam Neotericos, qui uno ore pronunciant, *corporis exercitationem ſemper ante cibum celebrandam eſſe, vel poſt concoctionem abſolutam*; quare ſtatim *poſt cœnam* nec *vocis exercitatio*, nec alia corporis motio eligenda, quia ore aſſumta & ingeſta citius, antequam intimè ſolvi & digeri poſſunt, ê ventriculo, per fortiorem ejus conquaſſationem, â diaphragmate ſub *vocis exercitatione* largiùs factam, propelluntur, quare aliter fieri non poteſt, quin ê cibis ſuperficialiter tantum ſolutis crudus tantum chylus in vaſa intrudetur lactea. *Qualis chylus, talis ſanguis*; hinc crudus gignitur ſanguis, inidoneus ad vigoris conſervationem partium ſolidarum, quibus fluida regi debent. Dicit itaque GALENVS *de Sanit. tuenda*: *Quemadmodum maximum bonum eſt ad ſanitatis tutelam, ante cibum exerceri, ita perniciosiſſima eſt omnis poſt cibum motio.* Idem etiam confirmat ORIBASIVS *in Synop. Lib. 10. Cap. 2.* his verbis: *Cum exercitia digeſtionem in corpore adjuvent, neque crudorum, neque incoctorum ciborum aut ſuccorum in ventriculo atque inteſtinis multitudo ſit, oportet: Periculum enim eſſet, ne, antequam per concoctionem utiles facti eſſent, in omnes animantis partes raperentur; ex quo patet, exercitia ante cibum fieri debere.* Quod etiam teſtatur Illuſtr. HOFFMANNVS *in Med. Syſtem. Tom. I. p. 409.* dicens: *Motus ante ciborum aſſumptionem maxima cum utilitate inſtituitur, tunc enim temporis non modo univerſum corpus ſuperfluum onus depoſuit; ſed & ſtomachalis liquor ab omnibus infectitiis ſordibus probè defecatus eſt.* Statim *poſt cœnam* inſtituta *vocis exercitatio* verò noxia,

quia

quia alimenta maturius, quam par eſt, ex ventriculo præcipitantur, & debita eorum ſolutio impeditur, ex quâ conditione varia morborum genera procreari ſolent. *Conf. Ill.* HOFFMANNI *Diſſ. de motu optima corporis medicina.* Nec uti AETIVS *l. c.* monet, *vocis exercitationi* indulgendum eſt, *ventriculo cruditatibus repleto;* dicit enim: *Utendum autem vocis exercitiis neque temerè, neque inconſideratè,* (quæ cautela probè notanda,) *ſed neque pravis & corruptis humoribus corpore repleto, neque in magnis & manifeſtis cruditatibus ad vocis exercitationem progrediendum, ne amplior diſtributio corruptorum humorum aut vaporum in corpus fiat.* Licet itaque *vocis exercitatio* multum faciat ad præoccupandas cruditatum collectiones, nimium tamen noxia eſt ſub earum præſentiâ. Magis itaque conducit eas prius per lenia & blanda abſtergentia educere.

§. XXXVII.

Quod exercitationes cibum præcedere debeant, inculcat etiam CELSVS *L. I. Cap. 2. his verbis: Exercitatio ſemper antecedere cibum debet: in eo, qui minus laboravit & concoxit, remiſſior,* in eo, *qui aſſuetus eſt & minus concoxit, amplior.* Commodè verò *exercent clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio, atque hæc non utique plana commodior eſt.* Quod etiam teſtantur ÆGINETA *L. 1. de re medic. Cap. 16.* SCHITLERVS *l. c.* EOBANVS *l. c.* & DRESSERVS *l. c.* dicens: *Poſt cibum quies, vel certè levior contentio eſt ſuſcipienda, ne calor, intus coquens cibum, diſſipetur: ob eandem cauſam etiam meditationes & ſtudia â cibo ſumto vitari debent; quod videlicet calor per ea â ventriculo ad exteriora* (mediante ſcil. circulo ſanguinis,) *revocetur & corpus repleatur.* Hinc etiam ſtatim poſt cœ-

nam intenſior *vocis exercitatio* eſt *vitanda; poſt ſolutos* verò *cibos uſurpanda*, ob meliorem exinde expectandam Chyli diſtributionem. *conf.* GRATAROLVS *l. c.* Noxium verò eſt, ſanguinem, ante ciborum concoctionem integrè finitam, ad extremas invitare partes. *conf. Ill.* HOFFMANNI *diæteti*ſche Schrifften, quod fit, ſi ſtatim poſt cibum corpus intenſius moveamus, vel etiam *vocis exercitationi* inhæreamus. Dicit itaque LIDDELIVS *l. c. p.* 859. *Quia exercitatio* (cujuscunque ſit generis, ſi modo temperata,) *diſtributioni alimentorum per venas opitulatur, tempus opportunum exercendi corpora erit ante cibos, peractâ concoctione, depoſitis alvi & veſicæ excrementis.* Quia enim per corporis exercitationem motus ſanguinis auctior fit & majori vi verſus exteriora vergit, contingit, ut, niſi alvus depoſita & veſica exonerata ſit, partes fluidæ excrementis alvinis admixtæ, quæ de eorum particulis ſulphureo-bilioſis & fœtore eorum participant, nec non ſubtilior urinæ pars, motuum vi abripiantur & ad ſanguinis maſſam reducantur, quibus ſanguis defœdatur & impurus de novo redditur, quæ conditio, ſi ſanguis per excretionem periphericam hiſce particulis heterogeneis ſufficienter ſe liberare non poteſt, varias involvit ac producit noxas, in corpus redundantes. Quod etiam JACHÆVS *l. c.* ob eandem rationem inculcare videtur, dicens: *Tempus maximè opportunum eſt ante cibos, peractâ concoctione, depoſitis alvi & veſicæ excrementis. Pleno ventre hoc facere inconſultum eſt: Nam alimentum adhuc crudum diſtribuitur, humoresque funduntur.* Cui etiam adſtipulatur SENNERTVS l. c. ajens: *Commodiſſimum exercitiis tem-*

pus

pus eſt matutinum, ubi ventriculus vacuus eſt, excretis prius alvi & veſicæ excrementis.

§. XXXVIII.

Paucis nunc inquirendum & explicandum erit, *quibus* potiſſimum *noſtra exercitiorum ſpecies* conveniet & ſalutaris erit. Quod itaque *ſexum* concernit, in genere quidem affirmandum erit, unicuique ſexui illam convenire. Cum autem viri variis ex cauſis, ob vitæ genus, magis exercitiis ſtudere coguntur, vel ſtudio indulgent; ê contra verò fœminæ ut plurimum vitam ſedentariam, paucis exceptis, exercere adſtringuntur, ob morem ſemel receptum, fœminis præ viris, ejusmodi ſcil. qui aliis fruuntur motuum ſpeciebus, vocis exercitatio magis quadrabit; quare haud inconſultum erit, ſi *fœminæ* ſe exerceant, ſub vitâ ſua ſedentaria, *cantatione* & *intenſiori* paululum *ſermocinatione*. Cum enim vitam ſedentariam ſæpius etiam invitæ amare cogantur, in varios incidunt morborum inſultus. Nam ſub parciori, quo gaudent, corporis motu, langueſcit circuitus ſanguinis, langueſcunt etiam ſecretiones & excretiones; hinc aliter fieri non poteſt, quin poſt excretionum, præprimis per cutis ſpiracula, imminutionem, humores impuri & excrementitii in nimia quantitate in corpore accumulentur, qui reſpectu quantitatis & qualitatis motum & tonum ſolidorum imminuendo & frangendo; *functiones* corporis *animales*, *vitales* & *naturales* vario modo lædunt. Cum verò ſub vocis intenſiori exercitatione ſanguis majori vi per corpus volvitur, & ſingulari quantitate & majori virtute verſus corporis corticem movetur, *largior* etiam

eve-

evenit *excretio peripherica*, quâ corpus liberatur ab humorum abundantia & impuritatibus, ita ut demum circulus ſanguinis æqualior & liberior evadat. Fœminæ, ob vitam nimium ſedentariam, ſub quâ, præprimis per abdominis viſcera, ſegnius ſanguis tranſjicitur, incidunt in menſium ſuppreſſionem, partim ob nimiam humorum copiam, partim verò nimiam ſpiſſitudinem, quæ circumſtantiæ tonum ſolidorum minuunt & frangunt, quæ ſuppreſſio demum ad alia morborum genera diſponit. *Conf. Diſſ. Ill.* HOFFMANNI *de genuina Chloroſis indole, origine & curatione.* Si vero ſub ſedendo aliisque pertractandis rebus mulieribus, majori induſtria *vocem exercerent*, ob crebriorem & largiorem, ex reſpirationis negotio ſubortam, diaphragmatis & muſculorum motitationem, viſcera abdominis blandè comprimerentur atque moverentur, ut ſanguis velocius paululum per abdominis viſcera transgredi poſſit; per huncque motum conquaſſatorium viſcerum ſanguinis globuli comminuuntur magisque dividuntur, hocque modo ſanguis tenuior & ad motum circularem, per minutiſſima etiam vaſcula, idoneus redditur. Experientiâ etiam confirmatum habemus, eas fœminas meliori præ aliis frui ſanitate, quæ ſub ſuis rebus pertractandis *vocis largiori exercitationi*, tanquam parergo, indulgent, quod potiſſimum obſervamus in fœminis cornice loquacioribus. His itaque, de quibus proverbium valet: *Rarum decus mulieribus taciturnitas vocis*, *exercitationem* accelebrare non opus habemus; iis verò potiſſimum commendamus *vocis exercitationem*, quæ aliàs taciturnitate Pythago-

reos

reos antecellere cupiunt. Minuunt enim *hâc motuum ſpecie* nimiam ſanguinis, ad quam, præter vitam ſedentariam, ob fibras molliores, corporis habitum laxiorem & vaſorum exilitatem, inclinant, abundantiam, quæ multorum aliàs morborum fœcunda genitrix. Melior etiam ex *hac exercitiorum ſpecie* alvi ſucceſſus eſt expectandus, qui aliàs variis difficultatibus premitur.

§. XXXIX.

Cum verò *viri* utplurimum corpus poſſideant è fibris ſtrictioribus contextum vaſculisque capacioribus dotatum, non tam facilè incidunt in ſanguinis exuberantiam, quia partes ſolidæ majori gaudent vi motrice, quâ fluida naturaliter eò melius regi, per corpus volvi & inutilia eliminari poſſunt. Hinc viri ejusmodi ſui corporis beneficio gaudentes, neceſſitate neutiquam premuntur largioribus inſiſtere motibus; cum verò rerum publicarum ſtatus ita ſit conditionatus, ut viri præ fœminis variis motuum ſpeciebus ſuum exerceant corpus, non opus habent, ſi munere tenentur laborioſo, ut *vocis exercitationi* operam navent. Peccant verò ordinariè in eo, ut ſub aliis corporis exercitiis *vocis exercitationi* nimium indulgeant; quæ itaque iis magis noxia quam proficua eſt, quia nempe vis unita fortior, & ſic corpus nimium movetur & fatigatur. Duo plus valent, quam unum; ſi itaque una motuum ſpecies ſufficiens eſt ad ſanitatem præſtandam & conſervandam, duæ ſpecies conjunctæ proportionem, reſpectu corporis virium, excedunt. Si verò quis vitam ſedentariam exercere cogitur aliisque corporis exercitiis deſtituitur, is cum ſingulari ſanitatis emolumento

vocis exercitationem eligat; quare etiam literatis, qui muſis in quiete & ſeceſſu litant, ſingulari encomio commendanda erit *vocis exercitatio, conf. Illuſtr.* HOFFMANNI *Diſſ. de Valetudine ſenum tuenda. it. de motu optima corporis medicina, & de uſu reſpirationis in arte medica*, it. GRATAROLVS *l. c.* Singulari itaque, præ aliis, fruuntur literati ſanitatis beneficio, præprimis publicè docentes, quippe qui vocis exercitatione præmuniuntur â variis morborum inſultibus, quod ſatis ſuperque teſtatur longævitas Oratorum eccleſiaſticorum & publicè docentium in Academiis & Scholis inferioribus, qui aliis corporis exercitiis ex parte deſtituti, per *vocis exercitationem* eam conſervant diu illibatam. Iis, qui claves imperii tenent & ad gubernacula reipublicæ ſedent, â quorum ſanitatis tutela ac præſervatione non privata ſolum ipſorum, ſed publica potius omnium ſalus dependet, cum ob muneris rationem vitam ſedentariam potiſſimum exercere coguntur, inſervit etiam *vocis exercitatio* ad ſanitatis tutelam.

§. XL.

Dantur etiam *viri* ſpongioſioris & mollioris corporis habitus, vaſisque exilioribus præditi, qui ob hanc rationem fœminis aſſimulantur & ad nimiam ſanguinis abundantiam inclinant. His etiam quam maximè quadrat vocis exercitatio, quoniam ob fibrarum mollitiem & minorem vim motricem fortiores motus perferre haud valent. Si itaque *huic exercitationi* inſiſtunt *moderatè*, plethoram minuunt, per excretiones auctiores factas, & ſanitate illibatâ fruentes longævi evadunt. Eos verò oportet, qui *huic exercitationi* ſe con-

conſecrant, vitæque genus cum multâ crebriorique ſermocinatione concomitatum eligere allaborant, ut ſana habeant viſcera, præprimis vero pulmones ritè conſtitutos & pectus bene efformatum, quippe ii, qui inconſideratè accedunt ad hanc motuum ſpeciem, plus eâ læduntur, quam quod emolumentum quoddam ex eâ hauriant. Si enim mala adeſt conformatio & ſtructura pulmonum, minorque eorum tonus, (qui per ſe & naturaliter ſatis exiguus,) ideoque nimia mollities & laxitas, recedendum eſt â multo ſermone, præcipue cum contentione conjuncto. Ejusmodi enim ſubjecta perquam facilè incidunt in hæmoptyſin, hancque ordinariè ſubſequentem phthiſin, aliosque morbos graviſſimos, uti paſſim obſervatum eſt in Oratoribus ſacris atque profanis; cujus non tam *ipſius exercitii*, quam *hujus temerè adhibiti* culpa fuit. Cum itaque neceſſe eſt, ut ii, qui *vocis exercitationem* crebriorem admittere cupiunt, firmo thorace, juxta Illuſtr. HOFFMANNI *Diſſ. de uſu reſpirationis in medicina*, firmisque pulmonibus gaudeant, etiam hâc conſideratione ſum commotus, ut Studium Theologicum, quo diu addictus, cum Arte Apollinea mutarem, ne per crebriores ſermocinationes meam læderem ſanitatem, meusque vitæ terminus abbreviaretur, cum, ob vires vacillantes, ad intenſius & crebrius loquendum, me vix parem judicarem Studio Theologico.

§. XLI.

Nunc explicandum erit, cum tot diverſæ ætatis dentur periodi, *cuinam ætatis periodo* potiſſimum conveniat *vocis exercitatio, quam moderatè*, pro cujuslibet cir-

cumſtantiæ ratione *adhibitam, unicuique aſſigno ætati*, hâc tamen monitione, quod plus minusve huic vel illi proficua ſit. Licet infantes recens nati diſtinctè loqui haud valeant, attamen non omni deſtituuntur *vocis exercitatione*, quam clamores compenſant, quorum ope, præter agitationem in cuneis, vices aliorum exercitiorum corporis ſupplentur. In *primâ* itaque *infantiâ* parum infantes corpus movere poſſunt, ob partium imbecillitatem & vires debiles, fibræ ſunt teneræ, molles, laxæ, flaccidæ inertesque ad validiorem paululum exercendum motum; quare etiam ob hanc rationem, nimiamque humiditatem, quâ eorum corpora perfunduntur, variis morborum agitantur inſultibus: Nam humiditas major eſt, reſpectu toni partium ſolidarum, quam propriè ad fibrarum flexilitatem conſervandam requiritur; hinc fibræ debilitantur in ſuo tono, ita ut nullâ ſingulari vi, ſi elongantur, ſe abbrevient, fluidaque regere & ſufficienter propellere poſſint. Langueſcente itaque, ob languidum fibrarum motum, ſanguinis circulo, langueſcunt etiam ſe- & excretiones; hinc, ob languidas excretiones, fluidorum quantitas accumulatur, ut proportionem reſpectu ſolidorum excedat, quorum moles ſolidorum reſiſtentiam ſuperat, ut, ob enervatum motum conſtrictorium fibrarum, tardus & ſegnis ê ſua natura ſanguinis motus progreſſivus tardior ſegniorque evadat, quæ conditio quam maximè facit ad ſtagnationem & congrumationem ſanguinis, ſeceſſionem ſeri â ſanguine & exinde oriundos morbos, qui potiſſimum caput infeſtant. Cum itaque etiam excretiones, præprimis excretio periphe-

riphe-

ripherica, ob ſegniorem ſanguinis motum, ſegniores evadunt, ſub hâc vero multæ impuritates ſubtiles, ſalino-ſulphureæ, ſub vaporis forma naturaliter exhalant, major fit harum collectio, ob leviorem excretionem, intra corpus, quibus maſſa humorum vitiatur, corrumpitur & intemperies introducitur, quam humorum læſam craſin varii inſequuntur morbi infantiles, ut achores, tinea capitis, cruſta lactea, &c. Contra hos morbos, qui potiſſimum ê ſegniori ſanguinis circulatione oriuntur, ſe præmunire poſſent infantes, ſi corpus localiter paululum moverent. Supplent itaque crebriores *clamores* reliquas exercitiorum ſpecies, ita ut circulus ſanguinis paululum augeatur, & omnia ſymptomata, quibus aliàs laborant, mitiora fiant. Si itaque tantum, nec doloribus impulſi, nec ſine fortiori animi commotione, *clament*, *hæc vocis exercitatio* maximè proficua eſt iis, quod vulgus exprimi ſolet: Spey- und Schrey-Kinder, Gedey-Kinder; quod etiam quotidiana teſtatur experientia.

§. XLII.

Defloreſcente verò infantia & creſcente ætate & corpore, ſucceſſivè alio modo demum corpus exercere aſſueſcunt, ita ut demum ſub aliis corporis exercitiis *vocis exercitatio* remiſſior eſſe poſſit, ne, ſi omnia motuum genera inter ſe dimenſurentur, proportio ſuperetur. *Cuilibet* itaque *ætati* conſultum quidem eſt quammaximè, *vocem exercere*, ſemper tamen proportionata ſit reſpectu virium aliorumque exercitiorum, quod quilibet ê ſupra deductis judicare poterit. *Imminente* tandem *ſenectute*, præ omnibus aliis exercitiorum ſpeciebus

ciebus, eligenda eſt *vocis exercitatio*, quippe eo tempore ſenes ineptiores evadunt ad fortiores motus, ob vires refractas & fibrarum majorem rigiditatem. Ordinariè ſenes, ob fibrarum ê nimia rigiditate ad motus inertiam & vaſa nimis anguſtata & coarctata, inclinant ad ſanguinis abundantiam & dyſcraſiam, â quibus nil niſi ingens morborum cohors expectari poteſt. Fit verò duplex hæc nociva qualitas ob ſegniores humorum motus progreſſivos & ſe- & excretorios. Hinc huic ætati per nullum remedium melius ſanè ad ſanitatis conſervationem conſuli poteſt, quam per moderata corporis exercitia, quæ inter eminet *vocis exercitatio*, quam accommodatiſſimam Senibus judico. Una pars enim, ſ. unum viſcus præ altero, mollioribus & tenerioribus conſtat fibris, quæ invadente ſenectute non tam citò & promptè immutari ac rigidiores & exſuccæ fieri poſſunt, quare ejusmodi fibris major remanet habilitas ad motus, reliquis, ob nimiam rigiditatem ad motus inertibus factis. Si itaque pulmones examinamus, edocemur, illos viſcus ſatis laxum & molle conſtituere; hinc pulmones, ob majorem præ reliquis partibus mollitiem, non tam promptè nimiam experiri poſſunt rigiditatem & inertiam ad motum eorum, tubuli & vaſa non tam citò anguſtantur & coarctantur; hinc ſalvus permanet per eos ſanguinis tranſitus. Sanguis ſub tranſitu, uti ſupra deductum eſt, attenuatur & fluidior redditur; hinc etiam per reliquos corporis tubulos, ob ſenectutem jam anguſtatos, transpelli & vehi poteſt. Quo magis itaque ſenes vocem exercent, ob crebriorem pulmonum ab illâ expectandam conſtrictio-

ctionem & expanſionem, hæc ſanguinis tenuitas & fluxilitas perficitur, & circulus ſanguinis per totum corpus ſalvus & integer conſervatur. Proportionem verò adæquatam ſervare diſcant ſenes, inter *corporis* ſui *vires*, & *hanc exercitationem*, ne hæc illas ſuperet & excedat. Si huic itaque ſedulò ſtudent, ſanitatem diu illibatam ſervare poſſunt. *Conf. Ill.* HOFFMANNI *Diſſ. de valetudine Senum tuenda.*

§. XLIII.

Pervolvimur tandem ad *temperamentorum examen*, inquirentes, quibus plus minusve proficua ſit *vocis exercitatio*. Sanguineorum corpus perreptant vaſa copioſa, ſed non adeò ampla, cor adeſt mediocre, fibræ ſunt nec nimis laxæ, nec nimis ſtrictæ, hinc temperatior eſt placidiorque ſanguinis curſus, nec nimis celer, nec nimis tardus, nec vehemens, nec debilis, ſed temperie gaudet; hinc etiam *motus* & *corporis exercitia* temperie gaudere debent. *Vocem* itaque *exerceant ſanguinei* temperatè, nec nimis vehementer, & ſi moderatè loquuntur, diu *ſermocinationi* inſiſtere poſſunt, non ſine inſigni ſanitatis fructu. Quia verò in *cholericis* ſanguis celeriter, ob anguſtiora vaſa, fibras denſas, teneras & renitentes, per corporis vaſa fertur, iique in omnibus actionibus valde ſunt præcipites; hinc, quod *vocis exercitationem* attinet, mediocritati in *loquendo* ſtudeant: Nam cum curſus humorum per ſe celer exiſtit, non conſultum eſt iis vehementer & intenſius *vocem exercere*, quia ſanguinis celeritatem in motu nimis auget, & hinc proportio tollitur adæquata. Potius itaque iis conducit remiſſius paululum *ſermocinationi*, ſine ullo fervore, nec

nimis

nimis diu inſiſtere. E contra autem *phlegmatici*, in quibus ob fibras ſpongioſas & laxas, venas cum corde parvas, ſanguinis curſus valdè debiliter & languidè ſuccedit omnesque actiones languidæ & debiles ſunt, *vocem* magis *exerceant*, ut ſanguinis curſus exinde excitetur & celerior auctiorque paululum fiat, qui illis longè ſaluberrimus exiſtit, quoniam ſe- & excretiones melius tunc procedunt: *Melancholicis* tandem præ omnibus aliis *vocis* convenit *exercitatio*: Nam ob fibras rudiores, duriores & craſſiores ſanguis tardius evolvitur; hinc â *vocis exercitatione* hic augetur & acceleratur atque expeditior fit, ita ut ſe- & excretiones etiam meliores ſe habeant. Cum etiam ab aliis fortioribus motibus fibræ, per ſe duræ & rudes, nimium exſiccantur, ut rudiores & duriores evadant; hinc moderatius exercitiorum genus iis eſt eligendum, â quo non omnes totius corporis fibræ, ſed laxiores tantum, quales inter alia ſunt eæ, quibus pulmones gaudent, agitantur & afficiuntur. Nihilominus tamen â *vocis exercitatione* ſanguinis motus celerior fit, qui ipſis maximum parit emolumentum, propter varios exinde expectandos uſus, uti deductum eſt in antecedentibus, quas cautelas olim etiam JACHÆUS *l. c.* indigitare ſtuduit his verbis: *Cæterum, qui temperamento eſt calido & ſicco, parcius exerceri debet, quam qui frigido, humidiore, aut alioqùin temperato.* Ex hoc generaliori, ſuccincto tamen examine temperamentorum, quilibet judicioſus proportionem & temperiem dimenſurare poterit, inter *vocis exercitationem* & *temperamenta* è variis *mixta*, quibus conferre poterit ea, quæ ſuperius ratione temperamentorum & anni temporum in medium protulimus.

§. XLIV.

§. XLIV.

Ratione *vitæ generis*, cui ſc. *vocis exercitatio* potiſſimum conveniens ſit, fuſius ſatis nos explicavimus in antecedentibus, quod ſc. literati & vitæ ſedentariæ dediti *vocem* præ omnibus aliis magis, majori fervore & ſtudio *exercere* debeant, ob egregios demonſtratos fructus. Quod tandem *robuſtorum & imbecillium* attinet conſiderationem, affirmamus, utrique convenire claſſi *noſtram exercitiorum ſpeciem*. Cum verò robuſti utplurimum aliis exercitiorum ſpeciebus indulgent; imbecilles verò, ob fractas & debiles vires, iis vacare oportet, magis, ex hoc conſiderationis fonte, *vocis exercitatio* exercitium erit pro imbecillibus, quam robuſtis, quo exercitio ejusque debito uſu imbecilles corpus ſuum paululum firmare poſſunt. Morbis declinantibus itaque non inconſultum erit *huic exercitationi* paululum operam navare, ut ſegnior excitetur ſanguinis circuitus & conſervetur in activitate. Non incongruæ itaque ſunt amicorum viſitationes, quippe iis anſa præbetur ægris *vocem exercendi*, & per blandas amicasque confabulationes quoddam ſibi procreandi emolumentum. A morbis quoque reſtitutis commendanda eſt *noſtra exercitatio;* dum demum, propter virium imbecillitatem vix aliud fortius corporis exercitium perferre poſſunt, omni verò exercitatione deſtituti inſigniter læduntur, & perquam facillimè in novos incidere queunt morbos.

§. XLV.

Dantur & *morbi*, in quibus *noſtra exercitatio*, dum per hanc inſigniter reſpiratio & hujus ope circulatio augetur, proficua eſt atque ſalutaris, *conf. Ill.* HOFFMANNI *Diſſ. de uſu reſpirationis in medicina.* Interim autem circa *vocis uſum* ſequentes obſervari merentur cautiones. 1) Ut thorace firmo gaudeant, qui hanc, & quidem crebriori uſu, admittere cupiunt, uti ſuperius eſt demonſtratum atque deductum; 2) ut evitetur in congeſtionibus circa caput; 3) ut præſente ad hæmoptyſin diſpoſitione caveatur. Non quidem animus eſt ſvadendi, ut ſub his circumſtantiis con-

currentibus in totum huic valedicamus, ſed tantum, ut moderationi in ea ſtudendum ſit. Addit quidem *Illuſtr.* HOFFMANNVS l. c. ut alvo liberâ reliquisque excretionibus ſatis expeditis, inſtituatur, & quod nunquam inſtituenda ſit *vocis exercitatio*, niſi imminutâ prius plethorâ. Quod itaque primam hanc attinet cautionem, in ſuperioribus ex ratione deductum, & experientia confirmatum eſt; *vocis* exercitationem alvi oppitulari excretioni, reliquisque excretionibus, easque egregiè adjuvare; hinc ſanè non video, quid Autor graviſſimus velit cum hac cautione, dum excretiones languidæ & ſegniores per *vocis legitimum uſum* excitantur, augentur & expeditiores redduntur, uti ſuperius ſat abundanter eſt deductum. Non etiam poſſum non, quin quidquam quoque excipiam contra alteram cautelam: Error ferè eſt univerſalis in ſcholis medicis, quod Medici ſub voce plethoræ intelligant ſanguinis exuberantiam. Si verò in vim vocis accuratius paululum inveſtigamus, ejusque radicem ê græcis examinamus, invenimus, hanc vocem tantum largam, non verò nimiam involvere ſanguinis quantitatem, germ. Die Vollblütigkeit, quæ, ſi per congruam diætam & remedia adæquata non præcavetur, in exuberantiam degenerare poteſt; hinc etiam varii Medici accuratiores, ſi hominem nimiâ ſanguinis copiâ laborantem deſcribere volunt, non ſine ratione & ſatis diſtinctè eum *ſummè plethoricum* ſalutant, nimiâ ſanguinis quantitate gaudentem.

§. XLVI.

Noſtram ut explicemus mentem, neceſſitatis eſſe duximus: Si major adeſt ſanguinis copia, quam commodè vaſa capere & regere poſſunt, ob vaſorum & reliquarum partium ſolidarum refractam reſiſtentiam, quam fluidorum copia ſuperat & enervat; tunc ſanè non conſultum eſt, *vocis exercitationi*, præprimis *crebriori*, operam navare, & ſi graviſſimus Autor ejusmodi ſententiam circa plethoræ vocem, licet minus rectè, fovet & ita ſe explicare ſtudet, in ejus ſententiam nos abituros eſſe profitemur; ſi verò vo-

cem

cem Plethoræ ſumit, uti ſumi debet, pro largâ ſcil. quantitate, non verò exuberante, vor eine Voll-Blütigkeit, nicht aber vor einen Uberfluß des Blutes, tunc non opus eſt, ut prius ſanguinis copia imminuatur. Nam *noſtra exercitatio* ejus eſt indolis, ut, ſi omnia ritè inſtituantur circa reliquas diætæ ſpecies, minuat; excretiones, præſ. periphericam, expeditiores reddendo, ſanguinis copiam & ita præſervet contra imminentem aliàs ſanguinis exuberantiam. Si autem vera adeſt ſanguinis abundantia, videtur quidem V. Sio locum invenire, ad minuendam ſanguinis copiam, ut deinde *vocis exercitatio* eò commodius & majori cum fructu adhiberi poſſit. Miſſam facio Venæſectionem in aſſuetis, in iis verò, qui nunquam eam experti ſunt, non ſine ratione rejicio ſufficienti, dum Venæſectio non ſatis fundata eſt legibus & ordine Naturæ, & nemo prudentum ſtudio aliquam ſervitutem accerſit ſuo fundo, taceam, ut corpus ſuum ſervitutis vinculo ligare vellet. Cum vero ſpatii anguſtiæ non permittunt fuſius explanare mentem, pedem hic figam, velaque mea contraham, dum principaliora circa *vocis exercitationem* momenta explicata ſunt fuſius. Ante omnia vero DEO T. O. M. grates perſolvo humillimas, quod nobis gratia ſua adeſſe ſimulque ſufficientes largiri vires voluerit. Ex intimo cordis opto, ut mortales varia ê noſtro labore hauriant emolumenta, ut illibatâ poſſint frui & perfungi ſanitate, donec, terminum â Deo conſtitutum attingentibus, voluntas divina vitæ imponat

FINEM.

ERRATA.

Pag. 5. lin. 22. pro voluntatem l. voluptatem. pag. 10. lin. 3. poſt vocab. præſcribuntur add. præſidia. pag. 16. pro §. X. l. §. VIII. pag. 29. lin. 3. pro fludior l. fluidior. Pro ſœpe cœterum &c. ſemper leg. ſæpe cæterum &c.

COROLLARIA.

I.

Motus & materia veræ Medicinæ conſtituunt fundamenta.

II.

Columbæ non carent humore bilioſo.

III.

Fibræ oſſeæ in cranio, â puncto ſuo oſſificationis exſurgentes ſibique invicem occurrentes, majorem efformant ſuturam, quam fibræ, quæ obliquè ſe tangunt.

IV.

In omni morbo partium ſolidarum & fluidarum motus eſt vel imminutus, vel auctus.

V.

Falſum eſt illæſam virginitatem & imprægnationem ex Urina exactè cognoſci poſſe.

VI.

Virium defectus, quò major in morbis, eò periculoſior.

VII.

Optimum contra morbos præſidium eſt, ſe contra primum morborum inſultum præmunire.

VIII.

Ignorantia Medici cognoſcitur è crebra medicamentorum mutatione.

IX.

Materiam ſemper debere eſſe prius quam effectus, affirmant omnes ſale præditi Philoſophi. E. non poteſt ſtatui, quod fluidum nerveum, tanquam materia tantum ſecernens, & (uti Ipſe Ill. Dn. D. HOFFMANNUS in ſuo Syſtemate *affirmat,) tanquam â ſanguine dependens, cauſa primaria ſit ad motum, neque primum impulſum ſ. inſtinctum ad motum producere poterit. Inquit enim:* Fluidum cerebri & nervorum materiam & originem ſuam petit â ſanguine arterioſo ejusque motu ad caput. Conf. ejus Syſt. Tom. I. p. 307. 276. &c. *Quicquid itaque dependet ab alia materia, illud*

illud non poteſt eſſe cauſa primaria, neque prius ſuum poteſt præſtare effectum. Atqui. E.

X.

Quod eſt ſubſtantia ſimplex & partibus non conſtat, actu & realiter dividi non poteſt.

XI.

Spiritus e. g. anima immortalis, eſt ſubſtantia ſimplex & non conſtat partibus. E.

XII.

Anima immortalis actu & realiter dividi non poteſt.

XIII.

Ceſſante itaque actuali diviſione Animæ immortalis, ceſſat conſequenter quoque tertia pars hominis. Nam ſenſatio, meo judicio, eſt derivanda á fibrarum & nervearum membranarum tenſione & agitatione vehementiori, ab objecto externo. Nam Autor graviſſimus *ipſe ſcribit:* Quò major eſt tenſio illarum, eò acutior & ſenſibilior quoque eſt perceptio. l. c. p. 281. §. IIX. *Nihil igitur valere poſſe autumo diſtinctionem inter animam ſenſitivam & rationalem; conſequenter etiam, quia duæ tantum dantur partes hominis, corpus nempe & anima, nihil valet tertia pars hominis.*

XIV.

Abſonum quoque eſt, ſpirituum realem & actualem diviſionem per S. S. Trinitatem demonſtrare.

XV.

Abſurdum eſt, iis negationem S. S. Trinitatis imputare, qui realem & actualem diviſionem Spirituum negant.

XVI.

Singularis prudentiæ indicium eſt diſputantis, ſi ab omni ulteriori recedit diſputatione, quando antagoniſta eum hæreſeos contra omnem rationem accuſat.

XVII.

Falſum eſt, quod ſubtilior tantum ſanguinis pars ad caput, craſſior verò ad viſcera abdominis propellatur.

SVb ſale prudenter medico, ſub ſole coruſco
Felix ut vivas terque quaterque, precor.

Nobil. ac doctiſſimo Domino Doctorando
ex animo ita congratulatur

TOB. JACOB REINHARTH, JCtus,
Acad. Rector.

DOctrina & pietas nunquam mercede carebunt,
Doctrina & pietas præmia certa ferunt:
Nam Te GOTTVERTRAV dignum fecêre Magiſtrum,
His porrò inſiſtens, mox quoque Doctor eris.
Accipe promeritos DÜRING doctiſſime! honores
Quos confert hodiè magnus Apollo Tibi,
Gratulor ex animo, Deus ut fortunet JOANNEM
Sintque Tibi, voveo, proſpera quæque diu.

Pauculis hiſce animitus gratulatur

PRÆSES.

QVid faciat ſanum ad ſervandum propria corpus
Vox, id DÜRINGI verba diſerta docent.
Non ſatis eſt doctis tantum hæc placuiſſe, ſed ultra
Et vox, indoctus quâ recreetur, erit:
Quando promittis curam facilemque citamque
Et promiſſa ægros mox medicina juvat,
Vox tam dulcis erit Tua tunc languentibus ægris,
Quam gelidus ſicco fuſus in ore liquor.

Sed

Sed non verba iſti, largo pro munere, reddant;
Vox ſola haud ſvavis, ſvavius æra ſonant.

Hiſce
Nobiliſſimo atque Clariſſ. Domino
Doctorando, *de ſummis in Medicina honoribus propediem capeſſendis, gratulari voluit, debuit,*

D. ANDREAS ELIAS Büchner/
Inſtit. Med. Prof. Publ. Facult. Med.
Aſſeſſ. Extraord. & S. R. I. Acad.
Nat. Curioſ. Collega.

SEmper erit Medicis pars maxima laudis, acerbam
Quam prius ingrueret, jam pepuliſſe luem.
Hunc Tibi nemo bonus, confido, negabit honorem,
Nemo Salem Medicum ſpernet, Amice, Tuum.
Hoc quid enim melius? quid vos, quos otia vitæ
Docta terunt, melius tabe levare poteſt?
Quæris, quid auxilii tandem novus afferat Autor?
Campos atque domum voce replere jubet.
Nempe ſolent nimiâ vitiari cuncta quiete
Corpora, nec ſanguis denſior ire poteſt:
Qui tamen impulſus, concuſſo pectore, parvas
Scinditur in partes, fitque magis tenuis;
Ut queat exiguos, ſolido reagente, canales
Rite ſubire ſuos, vim tribuendo fibris
Nutrimenta dabit, ſic & luſtrabitur ipſe
Sanguis & in puro viſcere ſuccus erit.

Hæc

Hæc tria corporeæ ſunt fundamenta ſalutis,
Hisque Tuum vigeat corpus, Amice, diu.

Hæc
Amicitiæ & Memoriæ cauſa plaudens
appoſuit

D. JOH. WILH. ALBRECHT,
Med. P. P. Extraord.

LAudo conatum, quod jam ſublimia tendis,
Fortiter aſpernans otia, deſidias.
Inſtes, invigiles cœptô conamine, vinces,
Et Tibi poſt ſtudii præmia certa ſient.
Hinc mea Muſa vovet: *Sis proſper in arte medendi,*
Nomen ut excreſcat laudis honore Tuum.

Hæc properante calamo Nobil. Experientiſſimo & Clariſſimo Domino JOANNI **Gottvertrau** DÜRINGIO, *Philoſophiæ Magiſtro, pro gradu in Medica arte diſputanti, apponere voluit*

ANDREAS EYSELIVS,
Med. Doct. & Pract.